MARIANI CULTUS VINDICIAE, SEU NONNULLAE ANIMADVERSIONES IN LIBELLUM, CUI...

Maximilien Reichenberger

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
15 C
12/7

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

51-3-6.
39 39
A B
41 64

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. MAXIMILIANI REICHENBERGER

è SOCIETATE JESU

MARIANI CULTUS VINDICIÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIANI CULTUS VINDICIÆ,

SEU

NONNULLÆ ANIMADUERSIONES

in libellum, cui Titulus:

MONITA SALUTARIA B.V. MARIÆ ad Cultores ſuos indiſcretos.

Pro vindicanda contra Autorem Anonymum

DEIPARÆ GLORIA,

Secundùm Orthodoxæ Fidei dogmata,

Sanctorum Patrum teſtimonia,

Rectæ Rationis dictamina,

Et Theologorum principia

concinnatæ

A

R. P. MAXIMILIANO REICHENBERGER

Pragenſi Bohemo è Societate JESU, SS: Theologiæ Doctore, in Univerſitate Pragenſi annis propè 30. Philoſophiæ ac Theologiæ Profeſſore publico, Earúndemque Facultatum per complures annos Decano.

Opuſculum poſthumum.

Additus eſt ad finem Libri Index geminus, alter Animadverſionum, alter Materiarum, quæ præcipuis DEIparæ Feſtivitatibus pro Concione ad populum deſumi poſſunt.

In uſum Concionatorum & Exhortatorum Marianorum.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis Jeſu ad S. Clementem, Anno M. DC. LXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LEOPOLDO
ROMANORUM
IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO
PIO, FELICI, PACIFICO,
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ,
Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c.
REGI POTENTISSIMO
SERENISSIMO.

SACRATISSIME CÆSAR,
CLEMENTISSIME DOMINE

VINDICIAS Honoris & Cultûs Mariani, quem neſcio quis Anonymus, virulento ſcripto nuper edito, tenta-

Digitized by Google

tentavit convellere, Tuo Sacratissimo Nomini conſecro dedicóq;. Sub eo Throno, ſuper quem Matrem ſuam Christus gratiſsimus Filius collocavit, nullus poſt ſedem Petri alius cœlo vicinior, quàm Tuæ Maiestatis Thronus occurrit; ab illo cœleſti pendet iſte Tuus terreſtris, & (poſt Eucharistiam) Imperij Tui fatale pignus eſt, ſingularis Pietas in MARIAM, ut qui MARIÆ Thronum oppugnat, oppugnet Austriacum, qui MARIÆ ſubſternitur. mittitis Coronas veſtras ante DEIparæ Thronum omnes Auſtriæ Principes, & ſub Ea curvamini, qui portatis Orbem. Tu Sacratissime CÆSAR inprimis, hoc habes pa-

ternum,

Digitized by Google

ternum, hoc avitum à FERDINANDIS, & proavitum! Tueberis igitur neceſſariò, Tua Majorúmque Tuorum exempla; quò magìs hic Liber poſthumus EX BOHEMIA TUA veniens, probabit ſe Tibi: nam cùm Virginis Matris juſtos honores, & Teneros Clientùm defendit Amores, TE nimirum & exempla Tua, Tuæq́ Domûs defendit. Leges in eo probata, defenſa, laudata, quæ Tu pridem pro MARIA dixiſti, juſsiſti, feciſti. Magnum Amoris Mariani Ducem in Te, CÆSAR, habemus, éſtque jam & dicitur IMPERATORIUM: AMARE MARIAM. Faxit DEUS Matris ſuæ precibus exoratus, ut ſub tam MARIANO CÆSARE terra-

Digitized by Google

terrarum Orbis, ac præſertim Regna Provinciæq; Tuæ per Te Divinæ Matris pedibus advolutæ, ſe MARIANAS eſſe lætentur, & in pace, ſecuritate, fœlicitate, rerum abundantiâ per MARIAM fundatæ, ſtirpem Tuam, ac TE placidè regnantem in ſeris Nepotibus adorent! Ità vovet!

MAJESTATI TUÆ

æternùm devotus

MARIOPHILUS.

Digitized by Google

APPROBATIO R.P. JOANNIS Cortês Oſſorio, S. J. quondam Primarii in Collegio Toletano, & Murtienſi, poſtea in Complutenſi, & demùm in Collegio Imperiali Madritenſi pro Scholis Regiis publici Theologiæ Profeſſoris, Supremi Conſilii Inquiſitionis Qualificatoris, pro ejus Ordinariis Conſultationibus Aſcripti, Bibliothecarum Cenſoris, & Viſitatoris, atque Theologi Regii, à Catholico Monarcha Carolo II. pro Conſultationibus Mediorum ad Statum, & Ærarium pertinentibus deſignati, &c.

CUm oblatum ab Amico Volumen inſcriptum: *Nonnullæ Animadverſiones in Libellum, cui titulus: Monita Salutaria B.V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos*, perlegerim, ejúſque ſcopum & rationes penſitaverim; Non mihi integrum ſupereſt de ejus approbatione dubitare. Quis enim verè Chriſtianus ſuffragium deneget aſſertionibus Catholicis, non ſolùm doctrinam continentibus ſanam, ſed etiam contagionis hæreticæ ſanativam? Nec me quadantenus deterret, vel aliquem Scrupulum ingerit Autoris conſilium in ſupprimendo nomine: quoniam licèt, ùt præfertur, incerti, & occulti Autoris Opus videatur, eſt tamen liber certiſſimæ doctrinæ, & manifeſtiſſimæ veritatis. Scilicet quandoque lege proferendi nominis ſoluti ſunt, qui magìs Divinæ gloriæ, quàm propriæ ſtudent famæ, præſertim ſi in eis Regionibus degant, in quibus apertâ facie Chriſti Eccleſiam defendere intutum eſt. Autori ergo hujus Operis, quicumque ille ſit, haud invitus ſubſcribo, tanquam veriſſimorum dogmatum Magiſtro, & Catholicæ Fidei Propugnatori. Sicut enim libellus, quem impugnat, nihil aliud ſapit, quàm veterum Iconomachorũ deliria, ità hæ Animadverſiones nihil aliud videntur eſſe, quàm Repetitiones & explicationes Sacrorum Canonum, quibus Secunda Nicæna, quæ & Septima Synodus Generalis, illum libellũ confixit, paritérque præſens Opus collaudat. Siſtant ſe Novatores, ſeu potiùs Veteratores Refractarii huic Tribunali integerrimo, credántq; Sentētiæ

infallibili, quam Spiritus Sanctus contra ſubdolas impiorum machinationes ex ore Patrum pro uſitato in Eccleſia ſacrarum Imaginum Cultu pronunciat. Ecce Concilii verba: * *Sancta Synodus exclamavit: Omnes ſic credimus, omnes idem ſapimus, omnes approbantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum. Hæc eſt fides Patrum. Hæc eſt fides Orthodoxorum. Hæc fides Orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum venerandas Imagines amplexamur: qui ſecùs agunt, anathemate percelluntor; qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſia depelluntor. Nos antiquæ Eccleſiæ legislationi inſiſtimus. Nos decreta Patrum cuſtodimus. Nos adiicientes aliquid, aut auferentes Eccleſiæ anathematizamus. Nos venerandas Imagines ſuſcipimus. Nos qui ſecùs faxint, anathemate percellimus.*

Quicumque Sententias Sacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt; Anathema.

Qui venerandas imagines, idola appellant; Anathema.

Qui dicunt quòd imagines Chriſtiani ut Deos adorent; Anathema.

Qui ſcientes communicant cum illis, qui contra venerandas Imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant; Anathema.

Qui audent Eccleſiam Catholicam dicere idola aliquando ſuſcepiſſe; Anathema.

Præfatis verbis Sanctiſſimi Concilii adeò evidenter damnantur Monita illa fictè ſalutaria, & verè lethifera, ut nec Libellus aliâ impugnatione, nec Liber aliâ approbatione cenſeatur indigere. Verùmtamen quia multi in plano ceſpitant, & in media luce cæcutiunt, operæ pretium duxi in medium etiam afferre judicium Supremæ Inquiſitionis Hiſpanicæ circa doctrinam illius libelli non ſolùm in æquivalenti, & prout in antiquis erroribus contentam, ſed in ipſiuſmet clauſulis conſideratam. Die 27. Novembris anni præteriti 1674. prodiit Edictum pro-

*Tom. 3. Concil. p. 1. Act. 7. Concilii citati.

Digitized by Google

prohibens inter alios hunc ſuſpectum Tractatum, de quo eſt ſermo, verbis quidem Hiſpanicis, ſed non indigentibus interpretatione propter ſimilitudinem cum Latinis. *Un tratado impreſſo en Octavo ojas, cuyo titulo es: Monita Salutaria B. V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos. Gandavi typis Franciſci de Erckel Typographi & Bibliopolæ jurati ad inſigne Phœnicis Anno 1673. Por contener propoſitiones ſoſpechoſas de error, impiedat, abuſo dela eſcritura, y de injurioſa impoſtura al Pueblo Catholico, y retractivas dela Devocion con la Madre de Dios, de ſu invocacion, de la Veneracion de los Sanctos, y culto de las imagines, ſe recoge haſtaque ſe expurgue.* Ità edixit rectiſſimum atque ſapientiſſimum Sanctæ Inquiſitionis Tribunal. Ità unanimes ſentiunt omnes Theologi Hiſpaniæ. Ità credunt univerſi hujus amplæ Regionis indigenæ, quibus Antiquitas Orthodoxorum rituum, continuáque & nunquam interrupta obſervatio Catholicorum Nomen reddidit hæreditarium. Profectò noſtrorum hominum in Religione conſenſus, Chriſtianæ & Apoſtolicæ Veritatis non leve argumentum eſt: ſiquidem à primordiis Eccleſiæ ità Apoſtolica dogmata conſervârunt, ut licèt aliæ gentes vel propter æmulationem Imperii, vel propter inſitum externorum odium, vel propter innatum alieni, inſolitíque moris contemptum, aut propter maledicendi libidinem, aliámve ob cauſam, jure, vel injuriâ, aliqua vitia noſtris Hiſpanis exprobaverint, at verò fidei inconſtantiam, vel ſacrorum dogmatum conſvetudinisve ſemel receptæ varietatem nemo ſan⁹ objecerit. Adeò enim firmiter retinent, quæ ſemel à ſuis Apoſtolis acceperunt, ut præſumere liceat, Deum tanquam laminis æreis prima Chriſtianæ Pietatis documenta conſtantibus Hiſpanorum animis impreſſiſſe, ut Poſteris eſſet traditionum Apoſtolicarum indelebile, atque irrefragabile teſtimonium. Sanè iſtum eximium Cultum, ferventémque devotionem erga Deiparam, quæ in hac Patria uſque ad ſtuporem viget, acceptam indubitanter referimus Jacobo Apoſtolo, cui Maria Sanctiſſima adhuc vivens (conſtans eſt traditio non levibus argumentis confirmata) ſuper columnam Cæſarauguſtanam apparens, ibi templum extrui præcepit ſuâ Imagine nobilitandum, nunquam diruendum, nec debito deſtituendum Cultu, ut verè hucuſque contigit, quan-

tumvìs ſæviretRomanorũ idololatria,graſſaretur vaſtatrix Barbarorum feritas, fureret Arianorum impietas, & ineptiret Mahometanorum inculta barbaries. Hæc eſt felicitas noſtra, ut de piis traditionibus ab antiquitate receptis, ſempérque, & uniformiter conſentientibus dubitare prudenter non poſſimus. Si qui verò Chriſtiani à priſtina pietate deſciſcentes etiam à nobis diſſentiunt,dolemus quòd nobis deſierint eſſe in fide germani. Ut verò reſipiſcant, vel ſaltèm erubeſcant, audiant Epiphanium Germanos (an nominis ſimilitudo myſterium eſt?) Eccleſiæ filios à Nothis & Spuriis diſcriminantem.* *Traditionem Eccleſiæ recipiamus, Legislationem ejusdem veneremur: nè floccipendamus piam & Divinam conſvetudinem: in vetera, & priſca judicia nè ſimus curioſi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi eſſe conſtat. Qui autem ſe excludunt ab iſta traditione, quam acceptârunt, quicumque Germani in Eccleſia Catholica filii fuerant, an non ſunt nothi, & minimè legitimi?* Ità Epiphanius, cui libentiſſimè ſubſcribo. In Collegio Imperiali Madritenſi Societatis Jesu 22. Auguſti 1676.

* *Epiphanius in 7. Synodo. Act. 6.*

Joannes Cortes Oſſorio.

CENSURA P. ANDREÆ MENDO, è Societate Jesu, Regum Catholicorum Philippi IV. & Caroli II. Concionatoris: Supremi Hiſpaniarum Conſilii Sanctæ Inquiſitionis Cenſoris: Salmanticæ olim Theologiæ Profeſſoris, ac ſacræ Scripturæ Interpretis, nec non ibidem Examinatoris Synodalis.

A*Ccuratiſſimè legi, ac expendi Librum, cujus inſcriptio eſt*; Nonnullæ Animadverſiones in Libellum, cui titulus: Monita Salutaria B. Virginis Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos. *Nihil in eo à Fide Orthodoxa, nihil ab Eccleſiæ Patribus, nihil à ratione, & veritate deviat. Cuncta pietatem redolent: eruditionem ſacram ſpirant: debitum Deiparæ Cultum promovent. Ejus Cultores non eſſe indiſcretos apertè demonſtrant;*

eo-

Digitized by Google

eorum obſequia Eccleſiæ conſvetudini, ac Sanctorum Patrum teſtimoniis eſſe conſona, ſatis ſupérque convincunt. Illa Libelli Monita ſalutaria, Autor, quisquis ſit, doctiſſimè, ſolidè, nervosè retundit, ut vel lippientibus innoteſcat, ea nomine ſalutarium nuncupari neutiquam fas eſſe, ſed potiùs eſſe reiicienda, tanquam nociva, & animabus pernicioſa, ac à Beatæ Virginis Cultu, affectu, & devotione retrahentia. Equidem latentem anguem in herba in medium producit, & doloſam illam Monitorum ſalutem oſtendit. Militat pro veritate robuſtiſſimis ex armamentario divinarum litterarum, atque Doctorum fidei armis depromptis. Nullus eis reſiſtere conabitur, qui veram lucem videat, ac puro corde, & ſincerâ mente præfulgeat. Procul eſto qui ſubdolè, dum aliquid agunt, ad obſcuriorem caliginem candida pectora trahere tentant. Colant Dei Matrem Fideles ipſiſſimis obſequiis, venerationibus, nominibus, quibus hucuſq; coluerunt; longiſſimè ab indiſcretione diſtant. Hoc ſvadent, & perſvadent hæ Animadverſiones, digniſſimæ quæ in publicam Lucem quantocyùs prodeant, ac ab omnibus lectitentur. Sic cenſeo. In Collegio Imperiali Societatis Jeſu Madritenſi die nonâ Auguſti, An. 1676.

Andreas Mendo.

APPROBATIO P. HIERONYMI Suitman, olim Theologiæ Profeſſoris in Collegio Abulenſi, & in Ouetenſi Profeſſoris ſimul ac Examinatoris Synodalis, nunc Procuratoris Generalis Angliæ & Hiberniæ Madriti.

TRactatum manuſcriptum Animadverſiones 33. continentem in Libellum, cui titulus: *Monita Salutaria B.V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos*, ſtudiosè & libenter perlegi, & ſanam ac ſolidam ipſius doctrinam laudo; genuinam & à Sancta Catholica Eccleſia exercitam & Sanctis Patribus à tot ſæculis inculcatam reperio; contra quos, ab ſ. autorem ullum Anonymum prævalere, & qui materiam monitorum B.

Virginis tantùm delibavit. Quaprõpter luce publicâ dignissimum eſſe judico tractatum hunc, ut per eum fidelis populus ritè ac rectè in Deipara colenda confirmetur, & animadvertat damnoſa documenta Libelli iſtius, quæ nervosè impugnat hujus Tractatûs Autor, quicunque ille ſit, & luculenter oſtendit, quantum veneni & quot angves in libello illo lateant, technáſque aperit ac injurias contra Cultum hyperduliæ B. Virginis, & Duliæ Sanctis & eorum Imaginibus debitum; quas jam anteà ſacrum Supremum fidei Tribunal in Hiſpania detexit, & gravi ideò cenſurà damnavit: Utinam citò imprimatur, ut in omnium manibus verſetur, ne verè Salutaria ſinceræ devotionis exercitia diminuantur, & debitus Deiparæ ac Sanctis honor ac reverentia ſubtrahatur per prædictum Libellum verè inſalutarem, & nè rudiores ſub ſpecie pietatis decipiantur, per defenſorios alios libellos prædicti jam libelli, qui reverà ipſius defenſores eſſe nequeunt, cùm longè diverſa ſint eorum dicta ac ſenſus à Monitis in dicto libello contentis; quæ licèt retractare vel benignè interpretari velint; fruſtrà tamen, & potiùs laudes, quas ſuſtulerunt B. V. prædicta Monita, reſtituunt, quam illis defenſionem præbeant. Ità cenſeo, Madriti Anno 1676. Sexto Maii in Collegio Imperiali Societatis Jesu.

Hieronymus Suitman.

CENSURA R.P. ANDREÆ Junii Scoti Theologiæ Profeſſoris, nuper in Collegio Societatis Jesu Toletano, dein Murciano, & nunc Imperiali Madritenſi.

A*Micorum juſſu perlegi Librum manuſcriptum Autoris Germanici neſcio cujus, Animadverſionibus 33. compactum; cujus titulus eſt:* Nonnullæ Animadverſiones in Libellum, cui titulus: Monita Salutaria B. V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos. *nihilq; in eo inveni ſanæ morum doctrinæ, fideive diſſentaneum, ſed potiùs judicium Autoris ſolidum,*

dum, eruditionem uberem, Zelum cordatum juxta & ferventem, ſtylum amœnum, & modeſtum: quamvis enim ardens ſtudium protegendi Cultum SS. Virgini debitum, & adverſæ cauſæ iniquitas odioſa aſperiuſculas quaſdam expreſſiones Autori extorſerint, haud quaquam tamen immeritas, modúmve, ſi materiam ritè ſpectes, excedentes. Idcirco cenſeo Librum iſtum publicâ luce dignum eſſe, cunctiſque Lectoribus verè Catholicis gratum, atq; utilem fore, & ad Reginæ Angelorum juſtum debitúmq; honorem magnoperè collaturum. Madriti in Collegio Imperiali Societatis Jeſu, Anno ſalutis 1676. 30. Junii.

Andreas Junius Caledonius.

APPROBATIO R.P. GASPARIS Ortizii de Moncada Doctoris Theologi in Univerſitate Complutenſi, in eadémque & Madriti pro Scholis Regiis primarii Theologiæ Profeſſoris, & in Archiepiſcopatu Toletano Synodalis Examinatoris.

Librum Animadverſionum contra Libellum quendam, cui titulus eſt: *Monita Salutaria B. Mariæ Virginis ad Cultores ſuos indiſcretos*, magnâ animi voluptate perlegi; in eo enim mirificè reſplendent Autoris vera pietas, fervidus erga Deiparam Zelus, iſque planè ſecundùm ſcientiam & prudentiam, nec non ſingularis eruditio, quâ diligenter recognitis Scripturarum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum apertis ſenſis, expreſsè ac ſolidè tuetur Marianum honorem, quem libellus ille infauſtus in vanum labefactare conatur. Nec dubito, quin ſinceri veritatis vel mediocriter amatores, libro hoc perlecto, ejus veram, ſanam, ſolidam, & Eccleſiæ ſenſui penitùs conformem doctrinam, utrâque manu ſint amplexuri, & à Monitis Pſevdo-ſalutaribus, verèque ſaluti adverſis præfati libelli ambobus pedibus ſint fugituri. Quare arbitror Librum hunc Animadverſionum, tum in Beatiſſimæ Virginis obſequium, & honorem, tum in communem fidelium utilitatem publicæ luci tradi oportere. Sic ſentio. In Collegio Imperiali Madritenſi Societatis Jesu, die 6. Auguſti Anno 1676.

Gaſpar Ortizius de Moncada.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO R. P. FRANCISCI
de Salinas, Catholicæ Majeſtatis Theologi pro Immaculata Virginis Conceptione.

L*Egi Librum Animadverſionum in Libellum, cui titulus:* Monita Salutaria B.V. Mariæ ad Cultores ſuos indiſcretos. *qui libellus ab Inquiſitione Hiſpanica prohibitus eſt, & meritò. Sed eo attentè lecto, imprimis judico Autorem hujus Operis ſatis apertè monſtrâſſe, eos, adversùs quos depugnat, non pro veritate, ſed pro voluntate contendere; & ratio videtur manifeſta: etenim principia, quibus utitur ad debellandas adverſariorum aſſertiones, ea ſunt, quæ Theologica cenſentur, & à Patribus, & à Theologis, & à controverſiarum Tractatoribus. Eos autem, qui principiis Theologicis colla non ſubdũt, rebelles omninò rationi apparere, nemo erit, qui abneget, quia quæ ex illis principiis Concluſiones eliciuntur, Theologicæ ſunt, & à Viris Sapientibus innegabiles. qualia dignoſcuntur eſſe, ſacræ Scripturæ teſtimonia, Apoſtolicæ, aut Eccleſiaſticæ traditiones, SS. Patrum conſenſus, Theologorũ & Univerſitatum certus aſſenſus, Eccleſiæ receptæ conſuetudines, Pontificum & Sedis Apoſtolicæ judicia; omnium Eccleſiarum conſpiratio, & omnium Catholicorum unanimis Sententia, & his ſimilia, quibus utitur Autor, & jure optimo: quia ſunt apud Patres Eccleſiæ frequentiſſima ad debellandos errores omnium adverſantium fidei veritatibus. ſed quia an ſit erro à fide, an non, Autor quem impugnat, apertè non conſtat, jure optimo calamum temperat & verba. Sed nihilominùs in rebus, quæ ad fidem, bonos mores, religionem, & Cultum Dei, & Sanctorum pertinent, non erat, cur Scriptor quem impugnat obſcurè loqueretur; diligere enim tenebras nunquam poſſunt filii lucis. Memini cùm hæc le-*

gerem,

Digitized by Google

gerem, S. Hieronymum dixiſſe Pamachio adverſùs Joannem Hieroſolymitanum ſcribentem: qui ambulat confidenter, ambulat ſimpliciter. Stultum eſt, fruſtrà infamiam ſuſtinere. Obiicitur ei crimen, cujus non habet conſcientiam; ergò crimen, quod totũ pendet in verbo, neget confidenter, ac liberè faciat invidiam Adverſario ſuo. nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, nè apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientiæ judicetur, ſi tacet: certè ſi hæreſeos nulla ſuſpicio eſt, ut capio & credo, cur non verbis meis meum ſenſum loquitur? quam ille ſimplicitatem vocat, ego malitiam interpretor; perſuadere mihi vult ut purè credat, purè ergò & loquatur; nunc ergo quia illa ſimplicitas eſt, quam ſuper ova & ariſtas in Theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, ubiq; dubium, ubiq; ſuſpectum: putes eum non expoſitionem fidei, ſed figuratam controverſiam ſcribere, quod ille nunc appetit, olim in ſcholis didicimus. *Hæc Hieronymus. Ego verò admiror vehementer in rebus tanti momenti, & ad fidem pertinentibus, bonos mores, Religionem, Cultum Sacrum, & Dei, & Virginis, & Sanctarum Imaginum; uſq; adeò dubium & ſuſpectum ubiq; incedere, & in uno quoq; Monito apparere, acſi de rebus loqueretur, quæ nulli unquam in mentem venire potuerint, cùm tamen nihil frequentiùs actum & tractatum dilucidiſſimè fuerit, & à Sanctis Patribus, Doctoribus, Conciliis, & Pontificibus, quàm quod ipſe tanto ſub dubio aut dolo agere voluit. Sed illud mirabile, quòd intenderit* Monita *dici* B. Virginis ad indiſcretos devotos; *judicia falſa ſunt. Quaſi Virgo Sanctiſſima ipſi revelaverit beneplacitum fore ipſi, quod ipſe monet Cultores Virginis indiſcretos, utiq; univerſalem Eccleſiam per univerſum Orbem diffuſam, ab Apo-*

 ſto-

Digitized by Google

ſtolis uſq; in præſentem diem aliter à Spiritu Sancto edoctam. Quàm aptè dixit S. Hieronymus lib. 2. adver. Ruſin. Cap. 2. Per tanta ſæcula tibi nullus videtur fuiſſe dignus, cui de hac quæſtione (*de prædictis Monitis*) Dominus revelaverit? non Patriarcha, non Propheta, non Apoſtolus, non Martyr? Dominus in Evangelio, Pater, inquit, revelavi nomen tuum hominibus; qui Patrem revelavit, de animarum ſtatu tacuit? & miraris ſi contra Te fratrum ſcandala concitentur, cùm id neſcire te cures (*ſimules*) quod Chriſti Eccleſia te noſſe fatetur? *Hæc, quæ dixit Hieronymus Ruſino, dici poſſunt adversùs omnem hominem novam ſeminantem doctrinam, quæ fidem & religionem & bonos mores tangat in Eccleſia, ab ipſa Eccleſia ignoratam. Et quidem incredibile prorſus eſt, ea Monita revelata non fuiſſe Apoſtolis, Prophetis, Martyribus, Doctoribus, Virginibus, Apoſtolicis Eccleſiis, & ipſi Romanæ Eccleſiæ & Petri Sedi; imò verò Catholica Romana Eccleſia, & omnes Eccleſiæ Apoſtolicæ, & cum illis communionem habentes ex divina revelatione aliam, imò & contrariam doctrinam didicêre. Ut verò Autor Monitorum aliquam excuſationem præferre poſſet, deberet Sedem Apoſtolicam adire, & apud eam ſua Monita diſcutere: pii enim Chriſti fideles tanquam oves Chriſti, ſolius ſummi Pontificis & Paſtoris Chriſti Vicarii, audiunt vocem; aliam autem vocem nec noverunt, nec noſcere poſſunt; quia eſt vox furum, non Chriſti & ejus Vicarii Romani Pontificis, veri ovium Chriſti Paſtoris. Præterea animadverſione digniſſimum eſt: Omnes Sanctos Eccleſiæ, & præcipuè hos, qui proximis ſæculis præceſsêre, (ut prætermittam priorum Eccleſiæ ſæculorum Sanctos Patres & Paſtores) dictis & factis ſuis, monita ſalutis æternæ Monitis hujus Autoris contraria de-*

Digitized by Google

dediſſe imitatoribus ſuis, in his quibus illum ſanctitatis honorem adepti ſunt. Sunt enim Sanctorum facta, ità certa ſalutis exemplaria, ut ex illis Doctores Catholici demonſtraverint regulas certiſſimas morum, religionis & fidei. Quapropter & Angelicus Doctor, & Seraphicus Bonaventura ex factis Sanctorum demonſtrant, veritates Fidei, quam contra Impugnatores Religionum defendunt. Patet autem, monitorem prædictum multipliciter impugnare Sanctorum facta circa Virtutem Religionis & erga Virginem devotionem & invocationem: quibus conſenſit per ſingula Orbis Catholicus, à quibus diſſentit apertè monitor prædictus, & idcircò dicere ei poſſumus cum S. Auguſtino contra epiſt. Parm. c. 6. Totius te Orbis autoritate convicimus. *& lib. 1. contra litt. Petiliani cap. 14.* Itaq; nobis fratres hoc unum, quod de Maximinianiſtis apud eos factum eſt, ad eos admonendos, corrigendóſq; ſufficiat. non vetera arcana diſcutimus, non antiqua armaria ventilamus, non ad longinquas terras noſtram probationem tranſmittimus, ſed ſequeſtramus omnia monumenta noſtra, majorum deferimus teſtimonia toto terrarum orbe clamantia. *Hæc dixiſſe Auguſtinum contra Admonitorem novum arbitrari debemus: quia etiam ſua teſtimonia, quibus veritatem Doctrinæ ſuæ confirmantia ex antiquorum monumentis emanata facit, tamen illa toto Orbe terrarum clamantia, tamquam evidentiſſima, nulli ſubdolæ aut falſæ interpretationi ſubjecta, in medium protulit, ut omnino confuſus & evidenter convictus appareret, qui teſtimonio totius Orbis fidem negandam judicaret. Cùm verò in his Animadverſionibus earum Autor pro vero Cultu Dei, & Chriſti Domini & ſanctiſſimæ Virginis & Sanctorum omnium Veneratione vera decertet, utpote teſtimonio omnium Eccle-*

 ſiarum

Digitized by Google

ſiarum, omnium populorum Orbis Catholici comprobatá: neceſſarium judico bono communi & fidelium utilitati & paci, ut typis dentur; ſpero etenim malis obrepentibus ex Monitis illis fore hoc opus medicamentum opportunum. Madriti 8. die Auguſti Anni 1676.

Franciſcus de Salinas Societatis Jesu.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS Bohemiæ.

CUm librum, cui titulus eſt: MARIANI CULTUS VINDICIÆ à Patre Maximiliano Reichenberger noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, complures ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, ac in lucem edi poſſe, judicaverint; poteſtate à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA Præpoſito Generali ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo Officii mei munitas dedi. Pragæ 1. Aprilis Anno 1677.

(L.S.) Mathias Tanner.

LICENTIA ORDINARII

Imprimatur

Wenceslaus Bilek à Bilenberg SS. Theologiæ Doctor, Officialis.

Digitized by Google

Animadverſiones in Libellum, cui titulus: MONITA SALUTARIA B. V. MARIÆ AD CULTORES SUOS INDISCRETOS.

Scopus Authoris & occaſio ſcribendi.

PRodijt non ante multos menſes in lucem Opuſculum paucis quidem folijs, ſed multis contra *Deiparæ Cultores* injurijs, refertum, cui titulus: *Monita ſalutaria B.V. MARIÆ ad Cultores ſuos indiſcretos*: in quo *Author Anonimus* non exhibitis priùs ſufficientibus *à SS. Deipara*, aut *pia* erga ipſam *affectione*, *literis credentialibus*, fingit ſe eſſe ejuſdem ad univerſam *Eccleſiam Plenipotentiarium*; & aſſumpto ex cap: 24. Eccleſiaſtici themate: *Ego Mater pulchræ dilectionis*; Cultores illius, tanquam poteſtatem habens, alloquitur, & à veneratione, prout ipſe ſibi fingit, *Indiſcreta*, *ad Diſcretam* convertere conatur. Argumenta autem indiſcreti cultûs, quem iſte Author in *Orthodoxis Mariæ* Cultoribus, ſub prætextu zeli majoris gloriæ *DEI* in ſuis *Monitis* promiſcuè traducit, & reprehendit, ſunt: Primò *Cultus Hyperduliæ DEI Genitrici* à fidelibus Chriſtianis paſſim exhiberi ſolitus. (*a*) Secundò, Nonnulli honorifici tituli, putà, *Advocatæ*, *Mediatricis*, *Dominæ*, *Corredemptricis*, *Cooperatricis noſtræ Salutis*, *Matris Miſericordiæ*, *Spei noſtræ* & ſimiles, quibus *Sanctiſſima Dei Genitrix* à ſuis clientibus invocatur, honoratur & colitur. (*b*) Tertiò, Nimia peccatorum (prout Authòr Anonimus interpretatur) in patrocinio *Deiparæ* fiducia. (*c*) Quartò, immoderatum ſtudium promovendi ipſius honorem & gloriam cum jactura, & detrimento gloriæ & honoris ſoli Deo & Chriſto competentis. (*d*) Quintò, Prolixi ſumptus, qui impenduntur in ornandas Sanctiſſimæ Virginis aras & ſtatuas; non ſine injuria pauperum, in quos ſublevandos tales ſumptus, ex præcepto charitatis, longè

 meliùs

(a) *Monit. n.* 15. (b) *Monit. n.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. (c) *Monit. n.* 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 10. 12. 13. (d) *Monit. n.* 6. 7. 10. 11. 18.

Digitized by Google

meliùs & utiliùs impenderentur.(*a*)Sextò,Peregrinationes ſuſceptæ,cũ delectu ad hæc vel illa loca, â ſtatuis vel imaginibus thaumaturgis ejuſdem Sanctiſſimæ *Virginis* celebria. (*b*) Septimò, Quædam ſigna & inſtrumenta pietatis â nonnullis *Marianis Cultoribus* geſtari ſolita; putà, *Scapulare*, *Roſarium*, *&c.* Item *Confraternitates & Sodalitates Deiparæ* cultui ſpecialiter addictæ, tanquam fomenta peccatorum impœnitentium. (*c*) Octavò, Nimis operoſæ lucubrationes & diſputationes Virorum doctorum circa vindicandas & in lucem provehendas nonnullas *Deiparæ* prærogativas, præcipuè verò, prout patet ex ejuſdem *Apologia* (*d*) Myſterium *Immaculatæ Conceptionis*. Nonò, Nimis tener erga Deiparentem affectus; quem optaret totum quantum circa ſolum Deum & Redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe occupatum. (*e*)

Verùm quàm callidè hic Author ferventibus in colenda Beatiſſima Virgine fidelium ſtudijs frigidam affundere, & omnes piæ erga ipſam affectionis, ac venerationis igniculos penitùs extinguere ſatagat, facile erit colligere ex dicendis: Non multùm interea â prudenti conjectura aberravero, ſi dixero in hunc *Authorem* non malè quadrare, quod de nonnullis, plus æquo præſumptuoſis *Marianæ gloriæ* ſcrutatoribus ſcripſit Richardus â S. Laurentio. (*f*) *Circa Mariam defecerunt multi ſcrutantes indiſcreto ſcrutinio; qui cùm tenebroſi eſſent, per præſumptionem in Matrem Luminis cum ſuis tenebris impegerunt, & ideò per Mariam obſtructum eſt os loquentium iniqua. Nimius enim perſcrutator Majeſtatis ejus opprimetur â gloria.* Quia verò *Author Anonimus* ſuis in caſtigando, & indiſcretionis arguendo *Mariano Cultu*, *Monitis*, pro more *Hæreticis* familiari (inter quos eum tamen numerare adhuc ſuſpendo, donec illorum ab Eccleſia Catholica conſors declaretur) admiſcet nonnulla *S. Scripturæ & SS. Patrum* teſtimonia; nè hâc ſubdolæ pietatis larvâ decepti *Orthodoxi Mariæ Cultores* in præfata *Monita* tanquam in *lapidem offenſionis & petram ſcandali* (*g*) incautè impingant: viſum mihi eſt pro eo, quo in ſenſu univerſæ *Eccleſiæ* conformi, erga *cæli Reginam*, *Matrem viæ*, *vitæ & veritatis* feror affectu, adhibitis, quàm modeſtiſſimè fieri poterit, nonnullis Animadverſionibus in multis, & â multis ſuſpectum, ſæpe memorati Authoris genium penetrandum, memet inſinuare, & favente *Spiritûs Sancti* gratiâ, æquum ab iniquo diſcernendo, *Orthodoxos Mariæ Cultores*, in eo quod hactenus pro veneratione Deiparæ cum totius S. Eccleſiæ approbatione, rectè & laudabiliter egerunt, non tantùm defendere, verùm etiam ad eam magis & magìs veteri Orthodoxorum more colendam, incitare & inflammare, adeoque haud leve, non lævæ operæ pretium me facturum exiſti-

(a) *Monit. n. 1. 6.* (b) *Monit. n. 17.* (c) *Monit. n. 4.* (d) *pag. 55.* (e) *Monit. n. 7. 14.* (f) *lib. 2. de Deip.* (g) *1. Petri 2.*

exiſtimo. Proteſtor namque coram facie totius orbis *cum Petro Abbate Cellenſi.* (a) *Cataractas cæli & fontes abyſſi, libentiùs in obſequium Virginis ſolverem, quam clauderem; & ſi Filius ejus Ieſus, aliquid omiſiſſet in prærogativa exaltationis ſuæ Matris, ego ſervus, ego mancipium, non quidem effectu, ſed ſaltem affectu, ſupplere geſtirem. Mallem certè non habere linguam, quàm aliquid dicere contra Dominam noſtram. Antè eligerem non habere animam, quàm ejus extenuare gloriam.*

Ut autem in vindicanda contra *Authorem Anonimum Deiparæ* gloria, tantò ſecuriùs procederem, viſum mihi eſt, præter *Orthodoxæ fidei* dogmata, *rectæ rationis* dictamina, & Theologiæ Scholaſticæ principia, SS. Patrum teſtimonijs ac veſtigijs potiſſimùm inſiſtere; utpote eâ authoritate in *Eccleſia Catholica* præditis, ut nemo genuinus ejuſdem *Eccleſiæ* filius auſit eis, præſertim communi eorum ſenſui, ſe pertinaciter opponere, aut alicujus gravioris erroris arguere vel condemnare. Cui proinde authoritati innixus, *â Sanctitate, Doctrinâ, & Purpurâ* Eminentiſſimus Eccleſiæ *Præſul Petrus Damiani.* (b) *Non mihi* inquit *Dialectica ſyllogiſmorum ſuorum circulos offerat; non Rhetorica lepidos delinificæ ſuadelæ colores infundat; non aliqua ſæcularis ſapientia phalerata, mihi ſuæ urbanitatis lenocinia ſuggerat, ſola ſe, & nuda proferat authoritas Patrum, in quorum pectore omnipotens Deus velut in Tribunali ſolio præſidens, ſanctionis ſuæ voluit promulgare decretum.* Neque me ab hoc in medium proferendo *SS. Patrum* ſuffragio, abſterret, quòd multi alij ante me idem in favorem *Deiparæ* longè meliùs & uberiùs præſtiterint; & de fertili SS. Patrum agro, uberes Marianarum laudum manipulos collegerint; confiteor namque ingenuè cum *S. Anaſtaſio Sinaita.* (c) *Quòd ego miſer & tenuitatis meæ conſcius inſtar formicæ relicta grana relego, & tanquam catellus, colligo micas de lauto & opiparo Patrum convivio.* Multò verò minùs me percellit, quod fortaſſe criticus aliquis Ariſtarchus dicturus eſt, me multa ex doctis & eruditis aliorum Authorum commentationibus ad præſentis Opuſculi auctarium contuliſſe; habeo enim pro mei defenſione *Juſtum Lipſium* (d) ita pro ſe in ſimili cauſa olim perorantem: *lapides & ligna ab alijs accipio, ædificij tamen extructio mea eſt, Architectus ego ſum: ſed & materiam variè undique conduxi: nec aranearum ſanè textus ideò melior, quia ex ſe fila gignunt; nec noſter vilior, quia ex alienis libamus.*

(a) *lib. 6. Epiſt. 3.* (b) *opuſculo 16. c. 3.* (c) *Ante l. 1. in Hexamer.* (d) *in Politicis.*

Digitized by Google

ANIMADVERSIO I.

In colenda Deipara ſervandum eſt medium, tam rationis quàm rei.

ANimadvertendum igitur cenſeo. Primò. Neminem ſapientem aut prudentem *Mariæ Cultorem* potuiſſe, aut voluiſſe negare, in cultu & veneratione *Deiparæ* (ut honeſtè & laudabiliter fiat) ſervandum eſſe (prout Scholaſtici loquuntur) non ſolùm *Medium Rationis* (quod eſt commune omnibus omnino Virtutibus) verùm etiam *Medium Rei*, quod eſt ſpeciale nonnullis *Virtutibus Moralibus*; inter quas numeratur *Religio*; ad quam præter cultum *Dei* & *Chriſti*, tanquam *objecti principalis & primarij*, ſpectat etiam cultus & veneratio *Deiparæ & Sanctorum*, tanquam *objecti minùs principalis & ſecundarij*, adeoque in colenda & adoranda *Dei Matre* peccari poſſe, non ſolùm *per defectum* (quod faciunt *Hæretici*, qui omnem omnino cultum ei denegant) verùm etiam *per exceſſum* (quod olim fecerunt *Collyridiani* (*a*) in Arabia degentes) qui *Dei Genitrici cultum Latriæ*, ſoli *Deo* competentem exhibebant, & ipſi tanquam *Deæ* ſacrificia & libamina offerebant.

Poſſent proinde etiam reperiri aliqui *Mariæ Cultores* inter hos *quaſi medij*, qui ferventi, ſed non ſatis conſiderato *Deiparam* extollendi & venerandi ſtudio abrepti (citra tamen omnem *Hæreticam pravitatem aut pertinaciam*) aliquid laudis & venerationis ei attribuerent, in quo puſilli aliqui ſcandalizari, & *Cultores Deiparæ* tales exinde alicujus indiſcretionis argui poſſent. Cùm enim hæc Sanctiſſima Virgo ob præcellentiſſimam *Maternitatis divinæ* dignitatem & alias prærogativas, & dona ei hoc titulo cœlitùs liberaliſſimè collata, ſit teſte *D. Damaſceno* (*b*) & *Doctore Angelico*, quædam velut divinarum perfectionum, gratiarum & miraculorum abyſſus; non poteſt non eſſe obnoxia aliquibus humanorum ingeniorum gyris & exerrationibus; & non præbere imbecillitati ingenij & judicij noſtri ad exuberantem hanc lucem caligantis, occaſionem cujuſdam æſtimationis, ac cultûs ad nimietatem uſque exundantis; confitente hanc ipſam fragilitatem citato *Damaſceno* (*c*) hiſce verbis: *Etiam animus excelſior mundo in Tua laude vertiginem ſentit ô Deipara!* Quanquam autem ſuper ejuſmodi exceſſibus *Clementiſſima Virgo* (quæ pro more Filij ſui affectum potiùs penſat, quàm effectum) *Clientibus ſuis*, præſertim rudioribus, non magnopere ſuccenſeat; imò cum ſimplicibus, exemplo Filij ſui, ſit converſatio ejus; ſuppo-

(a) *S. Epiphanius Hæreſi* 79. (b) *Serm.* 1. *de Aſſumpt.* (c) *in Menæis Græc. PP.*

ſupponendum nihilominus eſt, ipſam utpote Virginem prudentiſſimam & humillimam ſibi in iiſdem non uſquequaque complacere, etſi aliàs utile per inutile non ſoleat vitiari. Et ideò Mariæ Cultores ſapienter monet mellifluus *Doctor Bernardus* (a) *Honor Reginæ Mariæ judicium diligit; Virgo Regia falſo non gaudet honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Et Petrus Cellenſis.* (b) *Reginæ Dominæ noſtræ B. V. Mariæ obſequia venerationem poſtulant, non adulationem.*

Immeritò tamen ex occaſione hujus ſententiæ arguit *Author Anonimus* in ſuis *Monitis* (c) amantiores *Deiparæ Cultores inanis & aulicæ ſubmiſſionis*, atque adeò *adulationis*, quòd eidem *Deiparæ* tribuant titulos, & quædam reverentiæ ſigna exhibeant, quæ non tam ſolidam pietatem, quàm mundanam & ſæcularem urbanitatem redoleant. • Licitum enim eſſe amantibus, citra notam ullius adulationis (quam D. Thomas (d) definit: *Exceſſum delectandi alios verbis & factis*) indulgere ſvaviſſimis ſermonibus & alloquiis, atque intimi amoris affectum, quo ſe mutuò alius alium complectitur verbis planè mellitis teſtatum facere, patet ex ipſa *Divina Scriptura*, in qua *Spiritus Sanctus* (verba ſunt *Petri Caniſij*) *cæleſtis & fervens humanæ mentis amator non modò per amplificationem, ſed etiam quaſi amatorio more diſſerit, ſuámque Sponſam blandiſſimè compellat, & jam verbis, jam ſimilitudinibus vim ſancti amoris vehementiſſimam prodit; ſicut vel maximè Liber Canticorum oſtendit.* (e) Confirmátque idipſum citatus Author exemplo *Pauli Apoſtoli*, qui ad oſtendendam *Theſſalonicenſibus* (f) & *Philippenſibus* (g) recèns *ad fidem* converſis, amoris & affectûs ſui magnitudinem, non dubitavit *eos ſpem ſuam, gaudium ſuum, gloriam & coronam ſuam appellare.* Ex quo rectè arguit, poſſe nos iiſdem & ſimilibus titulis, amanter ſimul & reverenter, *Deiparam* cum *Eccleſia* ſalutare: utpote probè gnaris in colenda & honoranda *Spiritûs S. Sponſa Maria, rationem nobis longè majorem ſuppetere, quàm D. Paulo in credentibus tantopere commendandis ſuppetebat, ſive meritorum magnitudinem, ſive honoris & venerationis officium utrinque ponderemus.*

(a) *Epiſt.* 174. (b) *lib* 9. *Epiſt.* 10. (c) *num.* 15. (d) 2. 2. *q.* 115. *a.* 1. (e) *lib.* 5. *de Deip.* c. 15. (f) 1. *ad Theſſal.* 2. (g) *ad Philip.* 4.

ANIMADVERSIO II.

Gloria & honor Deiparæ nihil præjudicat gloriæ & honori DEI aut Chriſti.

ANnimadvertendum ſecundò. Licèt probandi non ſint, qui contra monitum D. *Bernardi* in colenda *cælorum Regina judicium non diligunt*, cavendum tamen eſſe magnopere ab ijs, qui ſpecie tuendi & amplificandi honoris ſoli *DEO* debiti, genuinos *Catholicæ Eccleſiæ* filios à cultu *Matris DEI*, ipſis non ſolùm perutili, verùm multipliciter neceſſario avertere conantur. Sapientiſſimè namque advertit *Ludovicus Albellus Theologus Pariſienſis*(a) *Aliquos ſpecie Catholicos, ſed re ipſâ, multarum circa fidem & religionem oblaſionum reos compertos, machinari maleficium circa cultum B. Virginis, cauſantes eum apud Catholicos eſſe nimium; & in hac parte hodiernam Eccleſiam non conſentire cum primitiva, quæ temperantiùs colebat Deiparam, & ità, ut non officeretur juribus DEI: quod fieri contendunt per hoc recens adeò flagrans, & incenſum ſtudium erga B. Virginem. Verùm hæc non tam eſt anomalia pietatis, quàm ſatanæ verſutia; ad eripiendum fidelibus præſidium â Deo proviſum in protectione Deiparæ. Itaque non modò audiendi non ſunt, qui talia inſuſurrant, ſed etiam maximè averſandi ac repellendi.* Quibus verbis neſcio an non aliqualiter expreſſus & expictus fuerit, velut ad vivum *Author Anonimus*, qui ubicunque poteſt, ſub prætextu defenſionis juris Divini, conatur devotos *B. Virginis* Clientes ab ejuſdem cultu avertere, & quantùm in ipſo eſt, eundem penitus abolere; Neque enim fruſtra inculcat verba *Apoſtoli* (b) *Regi ſæculorum immortali & inviſibili* (NB.) *Soli Deo honor & gloria.* quaſi ſenſus ſit: (NB.) *Solum Deum*, & nullum alium præter ipſum (hoc eſt neque *Matrem Dei*, neque ullum *Sanctorum*) eſſe colendum & honorandum, eo ferè ſenſu *Anonimi*, quo *SOLA* Fides quòd ſufficiat, heterodoxi docent, adeóque bona opera, & invocationem Sanctorum, & ſimilia nil ad ſalutem conferre comminiſcuntur. Fallitur autem hic *Author* longè graviſſimè, dum exiſtimat, quidquid cultûs & honoris Deiparæ impenditur, vergere in detrimentum gloriæ & honoris Divini, ipſique ſoli debitum honorem & gloriam imminui & vilificari. Bene enim & ſapienter pronunciavit *Doctor Angelicus* (c) *Honor Matris refertur ad Filium; quia ipſa Mater eſt propter Filium adoranda.* Et nemo ita hebes eſt, ut non advertat cultum & obſequia, quæ Matribus Imperatorum aut Regum, *quà talibus*, exhibentur, cedere & cumulativè & ultimatò

(a) *Apud Theophil. Raynaud. in Dyptich. Marian.* (b) *1. Timot. 1.* (c) *3. P. q. 25. a. 2.*

Digitized by Google

matò in gloriam & honorem filiorum, à quorum generatione matres formaliter acceperunt, ut eſſent dignæ ejuſmodi cultu & veneratione. Neque alio titulo magìs honorari à fidelibus *Sanctiſſimam V. Mariam*, quàm eo, quòd eſt *Mater DEI*. Unde ſapienter D. *Hieronymus*. (*a*) *Totum* inquit, *ad Chriſti laudem pertinet, quidquid Genitrici ſuæ fuerit impenſum.* Et *Rupertus* (*b*) *Sic te Mariam honoravimus atque concinimus, ut verè Dei Genitricem ſcientes; Quoniam totus honor impenſus Matri, proculdubio redundat in Filium.* D. quoque Bernardus (*c*) *Non eſt dubium quidquid in laudibus Matris Dei proferimus, ad Filium pertinere.* Et ſapientiſſimus juxta ac pijſſimus *Leo* Orientis Imperator Beatiſſimam Virginem alloquens (*d*) *Angelorum chori* inquit, nihil potius habent, quàm ut tibi inſerviant, gnari miniſterium tibi præſtitum, in Filij honorem redundare. Rectè denique (ut multos alios prætercam) ratiocinatus fuit Arnoldus Abbas Bonæ Vallis (*e*) *Cùm debita venerationis ſumma, quæ huic Virgini impenditur, ad Chriſtum reſpiciat, ex cujus plenitudine roratum & ſtillatum eſt deſuper, quòd Maria prædicatur gratiâ plena, manifeſtum eſt individuam eſſe Matris & Filij gloriam, & commune utriuſque præconium.* Quibus verbis ſimul inſinuat rationem hujus doctrinæ quaſi *à priori*, quam ei ſuppeditavit D. Ildeſonſus Archi-Præſul Toletanus (*f*) his verbis: *Cùm aliquid pro amore Creatoris in ejus creatura dignis laudibus extollitur, aut prædicatur, ad Dei proculdubio laudem refertur: ſicuti in laudabili aliquo* ac mirabili artificio, quidquid in eo magnis laudibus celebratur, ad laudem artificis jure colligitur. Cùm igitur teſte *D. Bonaventura* (*g*) *hæc ſemper fuerit communis SS. Patrum ſententia, Dei gloriam magìs in ſola Virgine Deipara, quàm in omnibus alijs Dei operibus* (*Chriſtum ejus Filium ſemper excipiendo*) *reſplendere:* Cur non poſſint devoti ejuſdem *Clientes*, ſine ullo præjudicio juris Divini, ipſam multis obſequijs ſtudiosè, non ſolùm cultu *Duliæ*, verùm etiam *Hyperduliæ* adorare & colere? Cùm non ſiſtant in ejus perſona ultimatò, tanquam in objecto *Attributionis*, ſed totum ipſius cultum referant ad gloriam Dei, *& Chriſti ejus Filij*; quem humillima ſimul ac prudentiſſima *Virgo* omnium ſuarum prærogativarum fontem & Authorem, ſemper grata recognovit, juxta illud ſui *Cantici*. (*h*) *Fecit mihi magna qui potens eſt, & Sanctum Nomen ejus. Neque enim fruſtra Spiritus S. dixit eam eſſe* (*i*) *pulchram ut Lunam; ſed ut oſtenderet, quòd ſicut Luna* (utor verbis *Ruperti* ad hunc locum) *lucet & illuminat, luce non ſuâ, ſed ex Sole accepta; Sic tu ô Beatiſſima, hoc ipſum quòd tam lucida es, non ex te habes, ſed ex gratia divina.* Si Auguſta ijſdem cenſetur gaudere privilegijs, & à com-

(a) *Epiſt. ad Euſtoch.* (b) *lib. 6. in Cantic.* (c) *Homil. 4. ſuper miſſus.* (d) *Homil. de Annunc.* (e) *lib. de laud. V.* (f) *Serm. 4. de Aſſumpt.* (g) *de laud. V.* (h) *Luc. 1.* (i) *Cantic. 6.*

Digitized by Google

à communi lege exemptionibus, quantum ei ſecundariò poteſt competere, quibus Auguſtus primariò fruitur, cur non Sponſa Spiritûs Sancti? Ideò denique (niſi fallor) ipſa in *Matrem Dei* electa, & ab Angelo ſalutata, ſe ſe *Ancillam Domini* (*a*) appellavit; ut profiteretur, quòd ſicut ſervus quidquid acquirit, non ſibi acquirit, ſed Domino; ità illa, quidquid ſibi ex dignitate *Maternitatis Divinæ*, honoris aut gloriæ obventurum eſſet, id totum, tanquam ancillam fideliſſimam, in majorem *Dei & Filij* ſui tanquam *Domini* honorem, & gloriam relaturam. Ex quibus non malè infert ſanctiſſimus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſul *Germanus*. (*b*) *Etſi aliquando quiſpiam in laudanda Deipara modum aut ordinem excedere videatur, non propterea tamen facilè offendi Chriſtum ejus filium; eo quòd in ipsũ deniq; univerſa Matris ſuæ gloria redũdet; & quidquid in Genitricis laudem dictum fuerit, ad ipſum referatur, à quo univerſa laudum præconia, quibus inſignita eſt, deducuntur.* Adde conſtare nobis ex fundamento prudenter credibili *Unigenitum Dei & Mariæ Filium*, plus quandoque *de Matris ſuæ*, quàm proprio honore fuiſſe ſollicitum. Ut enim taceam, quod cum *Hadriano Lyræo è Societate JESU* (*c*) ſolerter adverterunt nonnulli *S. Scripturæ* Interpretes; *Chriſtum* permiſiſſe quidem ſe ipſum, nunquam autem *Matrem* ſuam *inter iniquos reputari*: neque reperiri in omnibus quatuor Evangelijs nomen *Mariæ*, ſic verò gloriofiſſimum nomen JESU, fuiſſe ab impuro Dæmonum ore, pronunciatum aut violatum; ut inquam hæc taceam; in Inſinuationibus Divinæ Pietatis D. Gertrudi Virgini cœlitùs factis, & magni ſemper in Eccleſia habitis refertur (*d*) Sanctiſſimam illam Virginem, cùm aliquando Concionatori prolixiùs in Deiparæ quàm Chriſti laudes pro exedra excurrenti, ſuboffenſa fuiſſet, & à Concione revertens, iconem *Beatiſſimæ Virginis* ſine ſpeciali cultu, & veneratione præterivifſet, *ad Chriſti* verò ſtatuam converſa, eandem cum multa cultûs & honoris ſignificatione adoraviſſet; fuiſſe ab eodem *Chriſto* reprehenſam, & monitam ut illicò reverteretur ad iconem *Matris ſuæ*, eique humillimam, & majorem eâ, quam ſuæ ſtatuæ exhibuerat, venerationem exhiberet. *Se enim* (NB.) *in glorificatione Matris ſuæ plurimùm glorificari, ejúſque cultu, nihil ſuo cultui derogari.* Adeò nempe verum eſt, quod ſcripſit *D. Germanus* ſuprà citatus. (*e*) *Dum Mater glorificatur, lætatur quoque, & voluptate afficitur Filius*: propter incrementum ſcilicet honoris, quod ex glorificatione *Matris* redundat *in Filium*, inſinuante hoc ipſum tacitè *Spiritu S.* (*f*) *Sicut qui theſaurizat; ita & Filius, qui glorificat Matrem ſuam.* *Sileat ergò* (monet *D. Ildefonſus*:

(a) *Luc. 2.* (b) *Orat. in laud. V.* (c) *l. 1. Triſagij Marian. ſono 73.* (d) *l. 3. c. 20.* (e) *Serm. 4. de laud. V.* (f) *Eccleſiaſt. 13.*

Digitized by Google

ſua (a) *inſipientia carnis*, & *celebretur dignè cum laudibus Mater Domini noſtri Salvatoris; quia ejus honor, & gloria laus eſt & gratiarum actio Redemptoris.* Et verò quis ità rerum imperitus eſt, ut neſciat ſummos quoſque Imperatores, Reges ac Principes, ſæpe majoris æſtimare venerationem, ac cultum, qui ſuis Parentibus, aut familiaribus, quamvis ſibi quoad dignitatem longè imparibus, exhibetur, quàm qui propriæ eorum perſonæ impenditur, eò quòd in ſui cultu purum debitum, in illorum verò honoratione ſpecialis benevolentiæ affectus, & quædam devotionis ſupererogatio demonſtretur. Unde factum, ut in vulgi proverbium jam abierit: *etiam catellos ad captandam Dominorum ſuorum benevolentiam, eſſe perhumaniter, ac liberaliter tractandos.* Quantò autem longè potiori jure ſimile quid ſentiendum erit de cultu Matris Dei reſpectu Chriſti Filij ejus unigeniti, qui dum in terris viveret, longiſſimo tempore eidem ſubditus eſſe dignatus eſt, & ad omnia, quæ divinam perſonam non dedecerent, obſequia promptus, ac paratus. Id certum eſt, majorem Principi appretiativè cenſeri honorem deferri, ſi coram ejus etiam icone, vel ſolio, aut throno, illo abſente (etſi non majorem, ſed tantam, qualem Authographo præſenti deferrem) Reverentiam exhibeam; nam *propter quod unum quodque tale, & illud magis.*

ANIMADVERSIO III.

In malignam Authoris Anonymi Objectionem & Monitorum ſuorum Defenſionem.

ANimadvertendum tertiò. Nihil hactenus dictis officere, quod, pro defenſione frigidi ſui erga *Deiparam* affectûs cum *Luthero*, *Calvino*, *Melanchtone*, & alijs *Hæreſiarchis*, prout videre eſt apud *Petrum Caniſium*, (b) allegat *Author Anonymus* in ſua Apologia. (c) videlicet *Chriſtum* nullibi legi appellâſſe *Beatiſſimam Virginem Matrem*, ſed tantùm *Mulierem*: & à quibuſdam admonitum, quòd præ foribus expectaret (d) *Mater ejus & Fratres, volentes ei loqui*, reſpondiſſe: *Quæ eſt Mater mea? aut qui ſunt Fratres mei?* in Nuptijs item *Canæ Galilææ*, cùm fuiſſet â *Deipara* humiliter interpellatus hiſce verbis: (e) *Vinum non habent*; non modò nullum obſervantiæ ſignum, aut affectum ei exhibuiſſe, ſed è contrario arguiſſe, & reprehendiſſe dicendo: *Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Quaſi hinc colligere liceat, *Deiparam*

B

(a) *Serm. 5. de Aſſumpt.* (b) *l. 4. de Deip. c. 18. 19. 20. & ſeqq.* (c) *pag. 14. & 15.* (d) *Matth. 12.* (e) *Ioann. 2.*

Digitized by Google

param non eſſe tantis, & tam magnificis titulis, qualiter à Fidelibus defactò colitur, honorandam, neque poſſe ſibi vitio tribui, quòd contra vulgi opinionem, parcior ſit in ejuſmodi titulis Deiparæ tribuendis & accomodandis. Verùm quis eſt ità malè oculatus, ut non advertat, hanc eſſe prorſus malignam, & veteribus *Hæreticorum* contra *Deiparæ* cultum, contumelijs refertam excuſationem? Neque aliò ſpectare, quàm ut *DEI Genitricis* vilipenſionem ſerpentino meatu in animos *Fidelium* inducat, & nullum alium ei titulum, quàm communis de vulgo *Mulieris*, de jure competere, ex fucata Scripturæ authoritate perſvadeat? Hiſce namque & non alijs *S. Scripturæ* textibus ad perſvadendum incautis *Fidelibus*, *Deiparam* ſupra cæteras mulieres parum aut nihil excellere, abuſos fuiſſe eos, quos initio memoravi *Hæreſiarchas*, conſtat tum ex ijs, quæ pro defenſione *Deiparæ* contra *Novatores* eruditè adnotavit *Petrus Caniſius*; (*a*) tum ex perverſis *Hæreticorum* in Sacroſancta *Chriſti Evangelia Commentarijs*. Neque alijs argumentis olim *Manichæi Deiparæ Maternitatem* impugnabant, & *Chriſtum* ex ea verè genitum negabant; quàm quòd citatus *Chriſtus* eam nunquam *Matrem*, ſed tantùm *Mulierem* appellaverit; quòd *Jus Filiationis*, verbis illis: *Quæ eſt Mater mea*? ei negaverit; quòd in nuptiali convivio Canæ Galilææ, & aliàs publicè reprehenderit; quòd denique nullum ſpecialem honorem, qui verè Matri de jure competeret, ei exhibuerit, utpote, qui nunquam verum ex ea corpus aſſumpſiſſet. Tametſi autem hæ & ſimiles *Heterodoxorum*, quibus magna ex parte innititur *Author Anonymus*, contra Sanctiſſimam *DEI Genitricem* calumniæ & contumeliæ multis *S. Scripturæ*, *SS. Patrum*, *& Orthodoxorum Theologorum* argumentis, ab alijs Scriptoribus ſufficienter confutatæ ſint; expedit nihilominus ad propoſita ab *Authore Anonymo*, & varijs (quibus ipſe in præſenti materia favet) *Hæreſiarchis*, contra *Deiparæ* cultum, argumenta, etiam hoc loco breviter reſpondere, & quàm parum allegata Scripturæ teſtimonia ex mente SS. Patrum, qui litteram quæ occidit, à vero ſenſu vivificante probè ſeparare noverunt, & paleas à tritico ſegregare, atque eventilare afflante Spiritu Sancto, atque eruditiſſimorum *S. Scripturæ* Interpretum, Excellentiæ & Dignitati *Sanctiſſimæ DEI Genitricis* officiant, obiter ſaltèm oſtendere. Si igitur quiſpiam juratus *Deiparæ* Adverſarius ex me quærat: Cur *Chriſtus* (id temporis quo Evangelium ſuum publicè prædicavit) à dando paſſim *Beatiſſimæ Virgini* titulo *Matris* abſtinuerit, & ſolius *Mulieris* nomine eandem compellaverit? Reſpondeo cum *D. Epiphanio*, (*b*) id eo conſilio factum fuiſſe; ut quia Chriſtus coram Judæis & turba populi ſæpiùs edixerat, *Patrem*

(a) *ſuprà.* (b) *l. 3. cont. hæreſ. c. 79.*

trem ſuum eſſe Deum; nè Mater quoque ipſius pro Dea haberetur, ab appellatione Matris conſultò abſtinuiſſe: ſimúlque etiam hac ratione vaticinando proſpexiſſe, nè *Fideles* (quod poſtea facturi erant *Collyridiani*) Deiparam ob ſanctimoniæ ſplendorem ac Majeſtatem, quam præferebat, non *hominem* (& Mulierem) ſed *Deam* aliquam exiſtimarent. Idcirco (inquit *S. Doctor*) *Mulierem appellavit, nè quis B. Virginem excellentioris alicujus eſſe naturæ* (nempe Divinæ) *crederet: eóque vocabulo quaſi vaticinans, ad ea ſchiſmata hæreſéſque refutandas uſus eſt, quas in orbe terrarum excitandas cognoverat: ut nemo, ſacroſanctæ Virginis vehementiori quadam admiratione permotus, ſeſe ad illius hæreſis nugas ac deliria converteret.* Tanta enim Majeſtas toto ore oculiſque promicabat, ut (teſte antiquiſſimo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptore *Egeſippo* temporibus *Apoſtolorum* coævo) divinum quoddam Numen mortali carne circumſeptum, ſibi in ea homines cernere viderentur. Quod ſeipſum expertum fuiſſe diſertè teſtatur magnus ille *Athenienſium* Doctor *Dionyſius*, ſcribens ad Magiſtrum ſuum *Apoſtolum Paulum*: *Teſtor*, inquit, *qui aderat in Virgine, Deum, ſi tua, divinâ mente, concepta, non me docuiſſent; hanc veram Deam eſſe credidiſſem.* Adde his quod eruditè obſervavit *Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis* (a) *Simeon Metaphraſtes*, (b) & alij, *Chriſtum* appellatione Mulieris, honori ſuæ Matris ſpeciali quadam ratione velificari voluiſſe. Quemadmodum enim memoratus *Chriſtus* inter viros primatum obtinẽs, viri appellationem ſibi in pleriſque *Scripturæ* locis (c) per Antonomaſiam vendicavit, ità decebat *Mariam* tanquam Mulierum omnium principem ac primigeniam *Mulieris* nomine, per ſimilem Antonomaſiam nuncupari; ſiquidem ipſa juxta mentem *SS. Patrum* eſt illa Mulier, de qua, ſerpentem divinâ ſententiâ feriens, dixit olim *Pater æternus*: (d) *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: Ipſa conteret caput tuum.* Eſt item rara illa mulier, quam ardenti deſiderio quærebat Salomon, cùm diceret: (e) *Mulierem fortem quis inveniet?* Sed & Apoſtolus Paulus conſultò dixiſſe videtur (f) *Filium DEI factum eſſe ex Muliere*; ut indicaret *Mariam eſſe* illam mulierem, per cujus partum damna primæ mulieris erant reparanda; aut etiam, ut inſinuaret, quòd ſicut *primus Adam* in propagatione generis humani habuit adjutorium ſimile ſibi mulierem Evam, ità ſecundus Adam in myſterio Incarnationis, & opere Redemptionis, adjutricem nactus ſit *mulierem Mariam.* Quod porrò Hiſtoriam *Matthæi* (g) de nuncio ad *Chriſtum* turbis concionantem â *Deipara & Fratribus* (hoc eſt uti cum *D. Hieronymo* (h) interpretan-

B 2 tur

(a) *Serm. 1. in Dom. 1. Epiph.* (b) *orat. de vit. & dorm. Deip.* (c) *Iſai. 53. Hierem. 31. Zach. 3.* (d) *Geneſ. 3.* (e) *Proverb. 31.* (f) *ad Galat. 4.* (g) *c. 12.* (h) *apud Cornel. à lap. hic.*

Digitized by Google

tur plerique SS. Patres, ejuſdem per Mariam ex Joachimo & Anna conſanguineis) tranſmiſſo, & illis verbis: *Quæ eſt Mater mea?* quaſi repudiato attinet: Reſpondeo primò cum D. Auguſtino. (*a*) Chryſoſtomo. (*b*) Tertulliano. (*c*) & alijs, *Chriſtum* illis verbis non negaviſſe Matrem, ſed reprehendiſſe eos, qui ſe concionantem importunè interpellabant. Quos non fuiſſe ipſoſmet *Chriſti* conſanguineos (fieri enim non potuit, ut bono animo & convenienti modo illum quærerent) ſed aliquos de turba *Chriſto* concionanti proximè adſtantes, & eundem audientes, docet *D. Auguſtinus.* (*d*) Secundò, docuiſſe propter conſanguineos non eſſe opus Dei intermittendum. Hoc enim juxta *S. Ambroſium* (*e*) idcirco egit *Chriſtus, ut paternis ſe miniſterijs ampliùs quàm maternis affectibus debere oſtenderet, & ſpiritualem cognationem carnali anteferret.* Tertiò: quorundam jactantiam frœnare voluiſſe, qui de *Chriſti* conſanguinitate plus æquo gloriabantur; ſignificando eam ſine *ſpirituali* conjunctione parum; hanc verò per ſe plurimùm valere. Quam fuiſſe *Chriſti* mentem, apertè docet *D. Hilarius* (*f*) dicens *Chriſtum* verbis illis: *Quæ eſt Mater mea? non faſtidiosè de Matre ſua ſenſiſſe, ſed docere voluiſſe propinquitatis jus & nomen, non jam de conditione naſcendi, ſed de Eccleſiæ communione retinendum.* Et indicant hoc ipſum verba quæ immediatè ſequuntur. (g) *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.* Quibus verbis ſatis apertè ſignificat, in ſpirituali cum *Chriſto* cognatione non eſſe ullum diſcrimen ſexûs aut ordinis, ſed omnes eundem Chriſtum quaſi Mater & Soror & Frater (tum in ipſum credendo, tum alijs prædicando) proximè contingere: juxta illud D. Gregorij. (*h*) *Qui Chriſti frater & ſoror eſt credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim Dominum parit, quem cordi audientis infuderit; & mater ejus efficitur, ſi per ejus vocem, amor Domini, in proximi mente generatur.* Addi poteſt quartò ex ſuprà citato D. Hilario. (*i*) Gregorio. (*k*) & Ambroſio. (*l*) Chriſtum hoc facto ſignificâſſe, *Eccleſiam*, quæ credidit, fore *Synagogæ*, ex qua ipſe ſecundùm carnem natus eſt, præferendam. Quod denique verba illa: (*m*) *Quid mihi & tibi eſt Mulier?* in nuptiali *Canæ Galilææ* convivio à *Chriſto* prolata concernit; communior *SS. Patrum*, inter quos *S. Cyrillus & D. Bernardus*, (*n*) opinio eſt, ea non fuiſſe à *Chriſto* prolata *ad Deiparæ* reprehenſionem, aut increpationem (quo enim jure reprehenderetur, quæ nihil in ſua, utpote charitatis & miſericordiæ plena, pro pauperibus ſponſis interpellatione peccaverat?) ſed ad *Diſcipulorum* & noſtri inſtructionem; ut diſceremus; quòd ſicuti in operibus *Theandricis* (hoc eſt divinis

(a) *l. de S. Virginit. c. 3.* (b) *homil. 45. in Matt.* (c) *l. de carne Chri. c. 7.* (d) *tract. 28. in fine.* (e) *ad hunc locum.* (f) *canon. 12. in Matth.* (g) *Matth. 12.* (h) *Homil. 13. in Evangel.* (i) *canon. 12. in Matth.* (k) *hom. 3. in Evang.* (l) *l. in Luc.* (m) *Ioann. 2.* (n) *apud Cornel. ſuprà.*

Digitized by Google

vinis, & miraculis) parentes nihil habent juris & autoritatis, ità nec eorum affectibus ac deſideriis quidquam, ſed tantùm *DEO & Charitati proximi* eſſe deſerendum.

Neque à vero abludunt *D. Auguſtinus*,(*a*) *Gregorius Magnus*,(*b*)*Gregorius Nyſſenus* (*c*) *Beda*, *D. Thomas*, & alii docentes, *Chriſtum* Dominum citatis verbis : *Quid mihi & tibi mulier ?* non aliud voluiſſe adſtantibus ſignificare, quàm ſe Divinitatem, quâ miraculum erat patrandum, non temporaliter accepiſſe de Matre, ſed per æternitatem ſemper habuiſſe de Patre; *Non agnoſcit* (inquit Auguſtinus) *viſcera humana, operaturus facta divina*: ſic utique potentiam ſuam diſcernens, cùm non ex natura, quam à Virgine acceperat, ſed à Potentia Divinitatis miracula patraret, ut ſcilicet aſtantes intelligerent, eum in miraculis deſignandis nequaquam carnis aut ſanguinis affectu trahi, ſed Patris cœleſtis honore atque imperio duci. Quòd ſi proinde nonnulli *SS. Patrum* aliquid aſperitatis in prælibatis *Chriſti* verbis agnoſcunt, id non ità accipiendum eſt, quaſi Deipara tale miraculum jure materno indebitè poſtulando, *Filio* ſuo juſtæ indignationis materiam ſuppeditaverit, (id enim de prudentia & modeſtia hujus Virginis ſentire indignum eſt, cùm præſertim verba illius de ſe ſummam erga *Filium* reverentiam præſeferant, & ſolam indigentiam ac benefaciendi occaſionem proponant) ſed referendum ad circumſtantes, qui exiſtimabant *Chriſtum* ex naturali erga Matrem affectu, & reverentia patriæ poteſtatis, non poſſe abſtinere à faciendo miraculo, pro quo à Matre rogabatur. A quo errore, illâ vultûs & verborum erga Matrem, ſibi alioquin dilectiſſimam, ſeveritate volebat illos expedire. Non poſſe autem ex his & ſimilibus verbis *à Chriſto ad Beatiſſimam Virginem* prolatis, colligi aliquem minùs reverentem erga ipſam affectum, præclarè oſtendunt, D. Chryſoſtomus (*d*) & D. Cyrillus (*e*) ità ſequentia verba: *Nondum venit hora mea*, interpretantes : *Tametſi beneficium, quod à me petis, pro tua pietate petis, ut ſcilicet præſenti neceſſitati ac novorum Conjugum pudori, conſulam; nondum tamen venit tempus opportunum, ut ſuum uſum & fructum habeat miraculum, quod Te poſtulante facturus ſum; volo enim adhuc pauliſper expectare, donec vinum omnino deficiat, ut exinde hoc miraculum magis eluceat, & Convivæ faciliùs in me credant, ac glorificent Deum, qui* (*f*) *educit panem de terra & vino lætificat cor hominu.* Ex qua interpretatione clarè apparet, ea quæ *Chriſtus Deiparæ* in illo Convivio nuptiali locutus fuit, non fuiſſe aliquam minùs urbanam *Deiparæ* reprehenſionem, ſed potiùs benevolam & officioſam alicujus quaſi Moratorii petitionem. Quod ipſum adhuc longè

 magis

(a) *tract. 19. in Ioan.* (b) *l. 8. epiſt. 42.* (c) *oratione ſuper verb. Apoſtoli.* (d) *homil. 21. in Ioan.* (e) *l. 2. in Ioan. cap. 3. & 24.* (f) *Pſalm. 10.*

magìs illuſtrat idem, qui immediatè citatus fuit D. *Chryſoſtomus* apud ſuprà nominatum *Cornelium à lapide*, dum præfata verba *Chriſti* aliter ità explicat: *Statui quidē primũ miraculũ facere in Jeruſalem, ut Metropoli Judææ, ſed ad preces tuas ô Mater! propoſitum mutabo, faciámque illud hìc in Cana Galilææ.* Quo ſenſu nihil poteſt eſſe ad demonſtrandam inſignem Chriſti erga ſuam Matrem obſervantiam, pulchrius aut illuſtrius; habétque ſibi magnopere faventem mellifluum Doctorem Bernardum (*a*) qui demonſtraturus ſummam Chriſti erga Parentes ſuos (non obſtante eo, quòd ipſe ex privato ſenſu & affectu facturus eſſet) obedientiam & Reverentiam, provocat ad exemplum ab Evangeliſta Luca capite ſecundo propoſitum, ità fatus: *Cùm puer JESUS remanſiſſet in Jeruſalem & dixiſſet: In his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe; non acquieſcentibus ad hac Parentibus, deſcendit cum eis in Nazareth, & erat ſubditus illis.* Cui exemplo, ſimile factum in Nuptiis *Canæ Galilææ* accidiſſe apertè teſtatur ſuprà citatus *Chryſoſtomus*, his verbis: *Quamvìs dixerit: Nondum venit hora mea; poſtmodum fecit, quod Mater dixerat. Non ergò matrem* (*inquit Juſtinus Martyr* (*b*) *verbo objurgavit, qui facto honoravit.* Ex quo etiam apparet *Chriſtum* voluntatem ſuam *humanam Genitricis* ſuæ voluntati libentiſſimè conformâſſe, & nihil ejus poſtulationibus (utpotè non nisì rationabilibus) facilè negaviſſe. Ut proinde nemo mirari debeat *Sanctiſſimam hanc Virginem*, præmiſsâ ſuâ apud Filium, in præfato nuptiali convivio, non tam intereeſſione, quàm amicâ, ut interpretatur *D. Bernardus* (*c*) inſinuatione (dicendo enim, verba ſunt melliflui Doctoris, *Vinum non habent, non precatur, non imperat; ſed tantùm Vini defectum nunciat; quia cum beneficis & ad liberalitatem propenſis, non gratia violenter exprimenda, ſed ſolùm eſt occaſio proponenda*) illico dixiſſe miniſtris (quaſi de ſecuturo effectu nihil dubitaret) *Quodcunque dixerit vobis, hoc facite. Magnam quippe, inquit D. Cyrillus* (*c*) *authoritatem & dignitatem deferri ſibi à Domino. Mater non ignorabat, quæ perſuaſio, ut par erat, Filio miniſtros præparabat.* Neque poterat ignorare, quod poſtea obſervavit Methodius Olympi ac Tyri Epiſcopus (*d*) *Filium Dei*, qui dixit: *Honora Patrem & Matrem, ut Decretum à ſe promulgatum obſervaret, atque alios erudiret; omnem Matri ſuæ gratiam atque honorem impenſurum. Et ideò, quantus honor Parentibus debeatur* (ait paulò antè citatus *Cyrillus*) *facilè oſtendit, cùm ſtatim ad actum propter Matrem acceſſit.* Quòd ſi quis plura Filii Dei erga *Deiparam* tanquam amantiſſimam *Matrem*, honoris & reverentiæ documenta deſiderat, conſulat eruditiſſimos quoſque Scripturæ *Interpretes*

(a) *Serm. 19. in Cant.* (b) *q. 136. ad Gent.* (c) *Serm. 46. in Cant.* (d) *l. 2. in Ioann. c. 24.* (e) *Orat. in hypap.*

preter in caput 2. Lucæ ſuper illa verba: *Et erat ſubditus illis*, juxta mentem SS. Patrũ ſapientiſſimè diſcurrẽtes. Mihi cum D. Hilario(*a*) Ambroſio(*b*) & Chryſoſtomo(*c*) ad conteſtandum ſummum Chriſti erga Mariam Matrem ſuam quoad vixit, amoris, reverentiæ, & pietatis affectum, ſufficit, quòd in ſupremo ac acerbiſſimo mortis agone conſtitutus, & veluti omnium, ac ſui etiam oblitus, nihilominus chariſſimam ſuam Matrem, (*d*) de ſublimi cruce, reſpexerit, amanter compellaverit, & Diſcipulo omnium chariſſimo, & fideliſſimo ſollicitè commendârit, Sed cur etiam tunc à dando *Deiparæ Matris* titulo abſtinuit, & tantùm mulierem compellavit, dicens: *Mulier ecce filius tuus*. Reſpondet pro me Doctiſſimus Lyranus: Ne blanda Matris appellatione viſcera materna nimiùm commoverentur; & favet illi S. Joan: Chryſoſt: hom: 84. in Joann: ita Jeſum in præſenti alloquens: *O bone Jeſu, quid Matrem tuam erubuiſti, quæ Te tam diligenter nutrivit, reverenter tractavit, dulciter lactavit? tam durè loqueris: Mulier ecce filius tuus! ſed ideò factum arbitror, ut materno nomine Matri dolorem amplius excitaret*: quod & Baptiſta Mantuanus 3. parthen: expreſſit his metris:

Talibus admonuit Matrem, ſine nomine Matris;
Ne materna pium laceraret viſcera nomen.

Addi etiam poſſet, cum *Marco Vigerio* S. R. E. Cardinali, in Decachordo Chriſti chorda 7. *Sapientiſſimum JEſum* (ita ipſe loquitur) *proprietatis officio Mariam, non Matrem, ſed mulierem appellâſſe, ne daret Crucifixoribus anſam duriùs aliquid contra illam aggrediendi*. Sed perget fortaſſe præter argumenta contra ſpecialem *Deiparæ* cultum ex Hæreticorum genio, & ingenio deprompta & hucuſque diſcuſſa mihi obiicere *Author Anonymus*: *Chriſtum*, qui fidem *Centurionis*, *Magdalenæ* charitatem, & *Joannis* laudes deprædicavit, nullibi legi aliquid, in laudem ſuæ Matris, protuliſſe, & in tota novi Teſtamenti Hiſtoria raram admodum, & non niſi exiguam fieri Deiparæ mentionem. Verùm reſpondeo cum *Franciſco Suarez*: illud altum Chriſti in prædicanda ſua *Matre* ſilentium referendum eſſe ad ſummam illius *temperantiam, & modeſtiam*; ſummoperè caventis ne Matrem cõmendando, & extollendo ſui ipſius æſtimationẽ & cõmendationẽ captare videretur. Et quia id temporis, quo Evãgeliũ prædicabat, maximè conabatur divinam ſuam originem homines edocere, ſuperfluum fuiſſet, multa de Matre dicere, cùm facilè illis foret, ex tali doctrina, excellentiam humanæ conceptionis, & Matris ſuæ dignitatem percipere: neque neceſ-

(a) *in c. 12. Matth.* (b) *in c. 8. Luc.* (c) *homil. 45. in Matth.* (d) *Ioan. 19.*

neceſſaria erant verba, ubi res ipſæ, & opera, quibus Chriſtus Matrem ſuam honorabat, ejus æſtimationem clamarent, & loquerentur. Ex quibus ſimiliter patet reſponſio ad brevitatem *Evangeliſtarum novi Teſtamenti* hiſtoriam contexentium; cùm enim tota ipſorum, ſicuti & reliquorum Apoſtolorum, intentio occuparetur circa demonſtrandam Chriſti in humano corpore Divinitatem, hujus myſterii fide ſatis ſundata, non poterat Matris ejus Excellentia aut ignorari aut occultari. Præterquã, quòd judicio multorũ Patrum, in paucis illis, quæ de Deipara in Evangeliis memorantur, virtualiter continentur omnia, quæ ad ſummam ejus gloriam poſſunt facere, aut pertinere. Advertit namque *Joannes Gerſon* Cancellarius Pariſienſis, & poſt ipſum *Sanctiſſimus* ac Sapientiſſimus *Caroli V. Imperatoris* Eccleſiaſtes Sanctus *Thomas de Villa nova* Archiepiſcopus Valentinus: quamvis cætera omnia prætermiſſa fuiſſent, in ſolis illis verbis *Matthæi 2. de qua natus eſt JESUS*, comprehendi totum, quidquid de Beatiſſima *Virgine* magnificum dici, aut ſcribi potuiſſet. Quod etiam in ipſis rebus, & geſtis *Chriſti*, brevi admodum periodo, ab *Evangeliſtis* ſcriptis, licet obſervare. Eſt enim Evangelium, prout advertit Euſebius (*a*) Tertullianus (*b*) & alii, valde breve, & conciſum; quia: *Verbum abbreviatum* juxta *Apoſtolum* (*c*) *fecit Dominus ſuper terram*. Supplent inſuper hanc Novi Teſtamenti brevitatem multa, quæ de eâdem Deipara, per traditiones (etſi hæreticis traditiones univerſim videantur abominabiles, quia faciunt errores illorum æquè palpabiles, atque damnabiles) quæ inquam ab ipſis *Apoſtolis* emanârunt, & per manus *Patrum* (uti conſtat ex *S. Dionyſio*, (*d*) *Ignatio Martyre*, *Irenæo*, *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Auguſtino* & aliis) ad nos pervenerunt. Sed & in Concilio Epheſino, quod fuit unum è quatuor Conciliis *Generalibus*, quibus tanquam *Evangeliis* fidem haberi voluit *D. Gregorius Magnus*, & celebratum fuit potiſſimùm contra *Neſtorium Deiparæ* Maternitatem impugnantem, tam multa dicta ſunt de excellentia, & laudibus hujus Virginis, ut vix aliquid addi poſſe videatur. Quæ omnia poſtea in quarto *Concilio Chalcedonenſi*, & in 5. & 6. *Synodo*, & in cæteris uſquè ad Tridentinum confirmata ſunt, & ampliùs explicata.

Denique non ſine ſingulari Spiritûs S. conſilio factum videtur (de quo pluribus infrà) ut multa Virginis Deiparæ myſteria, & privilegia, nec ſcripta fuerint, nec certâ traditione recepta, quô occaſio daretur Fidelium ingeniis, & affectibus, in dies de Deipara plura meditandi, & ſcribendi: ſunt enim ejuſmodi ſtudia, & conatus, prout ex uſu *SS. Patrum Auguſtini, Anſelmi, Cyrilli*, & aliorum, advertit Sapientiſſimus Theologiæ Magiſter *Canus* (*e*) elucidandis *Fidei*

(a) *l. 3. demonſtrat. c. 4.* (b) *l. 4. cont. Marcion.* (c) *ad Rom. 8.* (d) *de divin. nom. c. 3.* (e) *l. 12. de loc. S. Scripturæ c. 14.*

Digitized by Google

dei myſteriis valdè utiles, & multi in Theologia valoris, & authoritatis. Quocirca lubet hunc diſcurſum claudere verbis Goffredi Cardinalis. (*a*) *Nihil in hujus Virginis laudibus haſitemus; Honorat ſiquidem Filium, qui laudat Matrem; ſine cujus laude, Deo placere impoſſibile eſt, & cum laude ejus, diſplicere ei nemo poteſt.*

ANIMADVERSIO IV.

In Figmenta & Calumnias Autoris Anonymi, contra Orthodoxos Deiparæ Cultores.

ANimadvertendũ *Quartò. Autorem Anonymum* ad conflandã non ſolùm rudibus, verùm etiam eruditis, ac doctis *Mariæ Clientibus* (quod paſſim faciunt *Hæretici*) invidiam, multa ipſis ex privato ſuo ſenſu, & mala ſuppoſitione affingere, quæ non ſolùm ab *Orthodoxa Fide*, verùm etiam à *recta Ratione* ſunt prorſus aliena.

Fingit enim 1. Ipſos cultũ *Latriæ*, ſoli DEO debitum, *Mariæ* ejuſdem *Genitrici* attribuere, & ipſam in eodem parallelo cum *DEO* conſtituere. (*b*) Quæ (ut ſuprà memoravi) fuit olim Hæreſis *Collyridianorum, Deiparam ut Deam ſubalternam* adorantium, & ipſi ſacrificia & libamina offerentium. (*c*)

Fingit 2. *Cultores Beatiſſimæ Virginis*, ita ſublimiter de potentia, & efficacia *Marianæ* interceſſionis ſentire, ut firmiter ſibi perſuadeant, poſſe, ipsâ deprecante, quoſvis peccatores, etiam impœnitentes, & in tali ſtatu ex hac vita decedentes, ab æterna damnatione eripi, & in numerum electorum adſcribi. (*d*) Quod apertè pugnat cum doctrina *Concilij Tridentini* definientis: (*e*) *Motum Contritionis* (hoc eſt ſeriam peccatorum retractationem) fuiſſe adultis quovis tempore ad ſalutem neceſſarium.

Fingit 3. *Orthodoxos Cultûs Mariani propugnatores*, aſſerere: poſſe ejus ope, & patrocinio, *Reprobos*, non obſtante ultimatâ, & definitivâ æternæ damnationis ſententiâ, ex mediis inferni flammis extrahi, & in integrum reſtitui. (*f*) Quod à veritate quàm longiſſimè abeſſe conſtat, tum ex variis locis Scripturæ, quibus Eccleſia Catholica utitur ad probandum, quòd *ex Inferno nulla ſit redemptio*: tum ex immobilitate divinæ voluntatis, juxta illud Scripturæ: (*g*) *Non eſt Deus, quaſi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

(a) *ſerm.* 5. (b) *Monito* 8. (c) *D. Epiph. Hæreſ.* 79. (d) *Monit. n.* 1. & 4. (e) *Seſſ.* 6. *c.* 4. (f) *Monit. n.* 1. & 2. (g) *Numer.* 3.

Digitized by Google

Fingit 4. *Cultores B. Virginis* exiſtimare, dari *Appellationem* à Suprêmo Tribunali *Chriſti* (qui juxta D. *Petrum* (*a*) *conſtitutus eſt à DEO Judex vivorum & mortuorum*) tanquam nimis rigido, ad *Deiparam tanquam Matrem miſericordiæ* (*b*) quaſi ipſa poſſit Sententiam ab eo latam infringere, eámque approbare, vel improbare. Cui Opinioni tanquam erroneæ, & *judiciariæ Chriſti* poteſtati extremè præjudicioſæ, apertè reclamat *Propheta Regius*: (*c*) *Juſtus*, inquit, *es Domine, & rectum judicium tuum.* Et iterum (*d*) *Juſtitia tua juſtitia in æternum, & Lex tua veritas.*

Fingit 5. *Marianæ gloriæ Zelatores*, multa prædicata *Deiparæ* attribuere, quæ ſinè manifeſta injuria, & diminutione gloriæ, ſoli *Deo*, & *Chriſto* debitæ, ei nullatenus attribui poſſunt: (*e*) Excipiente, & palàm proteſtante, contra ejuſmodi injurias, *ipſomet Deo*: (*f*) *Ego gloriam meam alteri non dabo.* Et confitente id ipſum *Vate Regio*: (*g*) *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Fingit 6. *Orthodoxos Marianæ pietatis Sectatores* docere, *Chriſtum* non eſſe *fontem omnis gratiæ, & miſericordiæ*, ſed *Mariam*; & idcirco plus ſpei & fiduciæ in ejus patrocinio collocare, quàm in infinita bonitate, & benignitate ipſius Chriſti. (*h*) Quaſi verò inanis, aut ſuſpecta eſſe poſſit amabiliſſima ejuſdem Chriſti, omnes calamitoſos ad ſe allicientis, & invitantis, adhortatio: (*i*) *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & Ego reficiam vos.*

Fingit 7. *Fideles Deiparæ obſequiis addictos ſeſe* à ſupremo DEI Dominio, quod ipſi in omnes Creaturas multiplici titulo eſſentialiter competit, ſacrilegè ſubtrahere, & *Mariæ* ſervitiis, ac famulatui ex integro mancipare (*k*) fruſtrà illis inclamante, & à tam turpi defectione, tum *per ſe*, tum *per Prophetas* eos dehortante ſupremo, ac legitimo ipſorum Domino, illis verbis: *Ego Dominus, & non eſt alius præter me.*

Fingit 8. Orthodoxos Eccleſiæ Catholicæ Filios, opem, ac patrocinium Beatiſſimæ Virginis, apud Thaumaturgas ejuſdem Statuas, in ſuis neceſſitatibus implorantes, adorare, pro more Gentium, ligna, & lapides; atque in iis fiduciam ſuam reponere (*l*) quod tanquam inſipientem idololatriam damnat Spiritus S. (*m*) *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum: Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Et vehementer etiam improbat *S. Concilium Tridentinum* (*n*) in Decreto de cultu & Veneratione *Sanctorum.*

Fingit 9. *Orthodoxos Marianicolas* ita magnificè loqui, & ſentire de excellentia

(a) *Actor.* 10. (b) *Monit. n.* 10. (c) *Pſalm* 118 (d) *ibidem.* (e) *Monit. n.* 6. 9. 10. 12. 13. (f) *Exod* 2. (g) *Pſ.* 113 (h) *Monit. n.* 13. (i) *Matt.* 11. (k) *Monit.* n. 15. (l) *Monit. n.* 17. (m) *Pſalm.* 113. (n) *Seſſ.* 25. c. 2.

lentia *Deiparæ*, ut doceant: *Deum* in ea creanda, & exornanda, omnes vires ſuæ Omnipotentiæ impendiſſe; nec aliquid ipsâ perfectius in infinita creaturarum, tam poſſibilium, quàm exiſtentium, ſerie inveniri poſſe. (*a*) Cui Sententiæ tanquam malè fundatæ, & Divinam Omnipotentiam nimìs arctis limitibus circumſcribenti, meritò contradicunt non ſolùm pleræque Scholæ, & Univerſitates, verùm etiam celebriores quique Doctores, nihil de Creatura omnium poſſibilium perfectiſſima intelligere, vel audire ſuſtinentes.

Fingit 10. Cultores Marianos ſuam ſalutem, & redemptionem æqualiter partiri inter Chriſtum & Beatiſſimam Virginem: illum ſibi Redemptorem, hanc Redemptricem conſtituendo. (*b*) Quam Doctrinam pridem condemnavit & execratus fuit *Apoſtolorum Princeps D. Petrus.* (*c*) *Non eſt*, inquit, *in aliquo ſalus. Nec enim aliud Nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Damnat item *Concilium Tridentinum* (Seſs: 25.) docens: *Solum Jeſum Chriſtum eſſe noſtrum Redemptorem & Salvatorem.*

Fingit 11. *Fideles Deiparæ cultui impenſiùs incumbentes* ornare, & veſtire Thaumaturgas ejuſdem Statuas, ex ſpoliis pauperum, in quorum ſubventionem deberent ſumptus, qui ſic perperàm profunduntur, expendi. (*d*) Quem abuſum deteſtantur non *ſolùm Charitas proximi*, monente nos *Eccleſiaſtico*: (*e*) *Fili Eleemoſynam pauperis ne defraudes*: verùm etiam *Charitas DEI*; juxta illud Joannis: (*f*) *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo Charitas DEI manet in eo?*

Fingit 12. *Catholicas Univerſitates & Scholas* toto orbe celeberrimas, inutiliter, imò cum ſubverſione animarum occupari, ac contendere inter ſe, circa excogitandas, & multis commendationibus, ac Diſputationibus illuſtrandas, novas ac novas Deiparæ dotes, & prærogativas: & præſumere decernere, quod neque DEUS revelavit, neque Eccleſia definivit; (*g*) improbante tales altercationes non in uno loco, ſupremo *Gentium Doctore Paulo*: (*h*) *Nolite*, inquit, *contendere verbis. & invicem mordere. Ad nihil enim aliud utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*, & iterum: (*i*) *Rectè tractate Verbum veritatis; profana autem, & vaniloquia devitate.*

Fingit 13. Nos, qui Deiparam, omni cultu, & veneratione infra DEUM digniſſimam profitemur, noſtrum cor, ſive dilectionem, inter DEUM & Mariam, ex æquo partiri, ac dividere; neque in illo ſolo, tanquam ultimo

(a) *Monit. n.* 10. (b) *Monit. n.* 10 (c) *Actor.* 4. (d) *Monit. n.* 16. (e) *c.* 4. (f) *Epiſt:* 1. *c.* 2. (g) *Monit. n.* 18. (h) *ad Galat.* 5. (i) 2. *ad Timoth.* 2.

creaturarum omnium fine, ac centro conquieſcere. (a) Quod è diametro pugnat cum præcepto Charitatis DEO debitæ, & ab ipſo multoties præceptæ. (b) *Diliges*, inquit, *Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et dictat etiam ipſa *Natura Rationalis*, juxta illud *D. Auguſtini* (c) *Feciſti nos Domine ad Te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in Te.*

Fingit denique teneram *Fidelium*, in colenda *Deipara* devotionem, fundari in neſcio quibus vanis, & temerè confictis hiſtoriunculis, quæ de illius apparitionibus, revelationibus, aut beneficiis promiſcuè circumferuntur. Monente nos in contrarium *D. Joanne*: (d) *Nolite credere omni Spiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex DEO ſunt.* & hortante Apoſtolo Paulo: Nè ſimus ex numero eorum, qui *à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur.* (e) Atq; iterum: (f) *Ne efficiamur ſicut parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris.*

Verùm quàm graviter his & pluribus aliis figmentis, *Orthodoxis Mariani Cultûs Sectatoribus injurius exiſtat Autor Anonymus*, apparebit ex iis, quæ ad ſingulas ejuſmodi calumnias refutandas adducentur in ſequentibus Animadverſionibus. Hoc interea iſtic loci benevolum Lectorem monere placuit, hunc Autorem videri aliquādo incidiſſe in Iconem *D. Bernardi* inter *Chriſti* vulnera, & *Mariæ* ubera ſe ſe devotiſſimè paſcentis; & ex parte *Chriſti Bernardo* propinantis ſanguinem, ex ſuis vulneribus legiſſe hoc lemma: *Hinc paſcor à vulnere*; ex parte verò *Deiparæ*, lac eidem *Bernardo* de ſuis uberibus deſtillantis legiſſe alterum lemma: *Hinc lactor ab ubere*; cúmque tam delicioſa animarum ſanctarum paſcua devotis *Chriſti & Mariæ clientibus* (qualis fuit *D. Bernardus*) invideret, nec tamen auderet aliquid circa ſacerrima Chriſti vulnera, auſu temerario attentare, veritus horribilem illam vocem D. Pauli (g) *Rurſum Crucifigentes ſibimetipſis Filium DEI*; voluiſſe, ut minimùm circa benigniſſima Mariæ ubera, æmulari aſtutiam nutricum parvulos ablactare conantium, quæ ſolent uberum ſuorum papillas ſucco aliquo amariore inungere, ut ſic parvulos à ſugendo lacte arceant, & ad ſolidiorem cibum appetendum inducant. Ita ſimiliter hic Autor, ut teneros *Mariæ Clientulos* à ſpiritualiter ſugendis cum *D. Bernardo* ejuſdem uberibus arceret, & à lacte *Mariano* ablactaret, conatus eſt quibuſdam amarulentis, & Orthodoxo palato diſſipientibus, errorum figmentis *Marianum* lac dedulcorare, & dulciſſima *Mariæ* ubera amaricare. Sed actum agis *Autor Anonyme*; non enim avelles nos ab hoc *loco* ſaluberrimæ pa-

(a) *Monit. n. 7.* (b) *Deuter. 6. & Matt. 22.* (c) *l. 1. confeſſ. c. 1.* (d) *Epiſt. 1. c. 4.* (e) *2. Timoth. c. 4.* (f) *Epheſ. 4.* (g) *Hebr. 6.*

Digitized by Google

paſcua; neque prohibebis, quò minùs ad dulciſſima *Mariæ* ubera devotâ mente anhelantes, clamemus cum citato *Bernardo*: *Monſtra te eſſe Matrem*, audituri, uti ſperamus, eam nobis benigniſſimè annuentem, & alloquentem verbis *Apoſtoli*: (*a*) *Filioli mei quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis* (*b*) *lac vobis potum dabo, non eſcam.* Ne autem ex hac occaſione novis contra Orthodoxos Mariæ Cultores, livoris, & invidiæ ſtimulis concitetur *Autor Anonymus*, & quo jure, citra arrogantiam, *DEI Genitricem Matrem noſtram* nuncupare præſumamus, *à Nobis* ſtomachabundus exquirat; oppono ei autoritatem *SS. Patrum*, quos pro nobis ſtare, & omnes *juſtos* inter Filios *Magnæ Matris Mariæ* cōputare, multis eorundē teſtimoniis eruditè oſtēdit *Theophilus Raynaudus*. (*c*) Si enim ex eo, quòd *Chriſtus ab Apoſtolo* (*d*) dicitur: *Primogenitus inter multos fratres*, intulerunt *SS. Patres Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus* & alii, quemlibet *juſtorum eſſe Fratrem Chriſti.* Quidni rectè poſſimus nos (*etſi neſciamus an odio, an amore digni ſimus*; (*e*) *ſed tamen gloriamur cum citato Apoſtolo* (*f*) *in ſpe gloriæ Filiorum DEI*) exinde inferre, Deiparam eſſe Matrem noſtram; ſiquidem teſte Heſychio Presbytero Hieroſolymitano (*g*) à Sanctitáte, & doctrina, inter *veteres Patres* multùm laudato, *Maria idcircò in DEI Matrem electa eſt, ut Fraternitas, quæ generi humano cum Filio DEI, ante ejus Incarnationem, intercedebat ſolùm ratione communis Paternitatis* (idcircò enim oram⁹: *Pater noſter qui es in cælis*) & *Chriſtus* apud *D. Joannē* dixit: (*h*) *Aſcendo ad Patrē meū, & Patrem veſtrū, poſt ejusdem incarnationem compleretur, & intercederet etiam ratione Maternitatis.* Quò procul dubio reſpexerit *D. Ambroſius* (*i*) cùm de hac *Maternitate* diſcurrens dixit: *Quomodo non Maria Mater Electorum, quæ Fratrem genuit eorum? Si Chriſtus credentium frater; cur non ipſa quæ Chriſtum genuit, Credentium Mater eſt?* Qui diſcurſus utique non omninò concluderet, ſi *Deipara ſuâ Maternitate* ad noſtram cum *Filio DEI Fraternitatem*, veluti pariter *Mater* noſtra, nihil ſpeciale contuliſſet. Adde indubitatum fuiſſe pleriſque *SS. Patribus DEI Genitricem*, omnes ac ſingulos *juſtorum*, in quibus per *Gratiam* (ut vocamus) Habitualem, & alia Dona ſupernaturalia *Filii ſui naturalis*, hoc eſt *Chriſti* imaginem formari, aut jam formatam, recognoſcit, in numerum *Filiorum adoptivorum* adſciſcere, eoſdémque materno affectu, veluti alteros Chriſtos, complecti, ac fovere; atque idcircò *à D. Petro Chryſologo Matrem omnium viventium per gratiam nuncupari.* De quo argumento pluribus diſſerens *D. Guarricus* Abbas Igniacenſis *S. Bernardi* Diſcipulus (*k*) *Unica*, inquit, *Virgo Ma-*

(a) *ad Galat.* 4. (b) 1. *Corinth.* 3. (c) *l. de Attribut. Chriſti S.* 4. *c.* 10. (d) *ad. Rom* 8 (e) *Eccleſ.* 9. (f) *ad Rom.* 5. (g) *in c.* 11 *Levitic.* (h) *Ioan.* 20. (i) *Serm. de Purif. Tom.* 5. *Bibliot. SS. PP.* (k) *Serm.* 1. *de Aſſumpt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ter, quæ ſe Patris Unigenitum genuiſſe gloriatur, eundem unicum ſuum, in omnibus membris ejus amplectitur, omniúmque, in quibus Chriſtum ſuum formatum agnoſcit, Matrem ſe vocari, non confunditur. Et Doctiſſimus Origenes (*a*) poſteaquam quæſiviſſet, quomodo *Chriſtus* potuerit de Cruce dicere *Matri de Joanne*: (*b*) *Ecce Filius tuus*; cùm ipſe ſolus eſſet *Filius* ipſius? Reſpondet *Joannem* fuiſſe eandem Perſonam cum ipſo *Chriſto*. *Etenim quisquis* (ita loquitur Origines) *perfectus eſt, non amplius vivit ipſe, ſed in ipſo vivit Chriſtus. Et quia in Joanne vivebat Chriſtus, rectè de eo dictum eſt Mariæ: Ecce Filius tuus. hoc enim idem erat ac dicere: Ecce Chriſtus tuus.* Taceo nunc alios titulos, ob quos jure meritiſſimo *SS. Deipara* poſſit appellari *Mater noſtra*. *Ipſa namque* (ut etiam *D. Auguſtini* (*c*) ſenſum & mentem in præſenti quæſtione non prætercam) *Ipſa*, inquam, *eſt planè Mater omnium membrorum ejus* (id eſt *Chriſti*) *quod nos ſumus; quia cooperata eſt charitate, ut Fideles in Eccleſia naſcerentur. Et Richardus à S. Laurentio* (*d*) docet, idcircò ſignificanter de ea dictum fuiſſe, apud *D. Lucam*: (*e*) *Peperit Filium ſuum Primogenitum*; ut ſignificaretur ipſam *præter generationem Chriſti Carnalem*, fore ſimul Matrem plurimorum filiorum *Spiritualem*, quorum *Primogenitus eſt* ipſe *Chriſtus*. Quâ etiam de cauſa *D. Petrus Chryſologus* Ravennatium Epiſcopus, eam: *Matrem omnium viventium per gratiam* appellavit. Vindicatô itaque his argumentis ab omni ſiniſtra ſuſpicione, & cenſura cujuslibet *Mariani Ariſtarchi* hôc *Deiparæ* Prædicatô: quòd *ſit non ſolùm Mater DEI, verùm etiam Mater omnium Fidelium, Chriſto Filio ejus adhærentium*, facilè colligere eſt, quàm filiali affectu, & fiduciâ erga ipſam ferri debeant omnes pii Deiparæ Cultores. Ad quem concipiendum nos hortans D. Anſelmus. (*f*) *Aſcendat*, inquit, *fidelis anima in mentis ſpeculam, & quantùm poteſt, videat, in quàm ſublimi locata ſit Domina Maria. Ipſa namque eſt, Mater juſtificantis & juſtificatorum: Ipſa eſt Mater DEI, qui ſolus damnat, & ſolus ſalvat: quem ſolum timemus, in quo ſolo ſperamus; & ſimul etiam eſt Mater noſtra, per Ipſā Judex, & Salvator noſter, eſt Frater noſter Quomodò ergo deſperemus, cùm ſalus ſive damnatio noſtra ex tam boni Fratris, & piæ Matris pendeat arbitrio? Nunquid ſuſtinebit bonus Frater puniri fratres ſuos quos redemit? Bona Mater damnari filios ſuos, quorum Ipſa Redemptorem genuit? Dulcis Mater rogabit dulcem filium ſuum, pium Fratrem noſtrum; Filium pro filiis; Unigenitum pro Adoptivis.* Hactenus Anſelmus; cujus verbis aliquid addidiſſe, dempſiſſe eſt.

(a) *Præfatione in Ioann.* (b) *Ioann. 19.* (c) *lib. de S. Virginit. c. 63.* (d) *lib. 6. de laud. Deip.* (e) *c. 2.* (f) *l. 44. de Virtut. B. V. M. c. 8.*

ANIMADVERSIO V.

Autor Anonymus eſt S. Eccleſiæ Catholicæ ſuis Monitis iniurioſus & pernicioſus.

ANimadvertendũ *Quintò. Autorem Anonymũ*, memoratis *Animadverſione* præcedenti Figmentis, non modò *S. Eccleſiæ Catholicæ*, de ſe illibatæ ac incorruptæ, maculam fœdiſſimam aſpergere, ſed etiam Heterodoxorum converſionem, & à viâ ſalutis aberrantium correctionem difficillimam reddere. Cùm enim omnes quotquot *Hæreticorum* converſioni ſeriò incumbunt, experiantur hauddubiè nil eam ità remorari, quàm calumnias & impoſturas, quibus *Pſeudo-Miniſtri Myſteria Fidei ab Eccleſia Catholica* recepta (inter quæ unum è præcipuis eſt *Cultus & invocatio Deiparæ* ac Sanctorum) onerant & conſpurcant, ut illam fœdam, ac turpem, exhibeant oculis convertendorum, atque ità hos ab ea arceant; in hoc puncto egregiè illis cooperatur Autor Anonymus, dum turpiſſimos quoſque errores & abuſus, circa *cultum & invocationem Deiparæ ac Sanctorum* non jam ſoli rudi vulgo, aut quibuſcunque de Eccleſia, ſed Viris doctioribus & literatis, qui ſunt principalior, & ſanior pars illius (ad hos enim ſpectare ſua Monita proteſtatur in Apologia pro ſe facta *(a)* affinxit, & imputavit. Verùm nominet, ſi non fingit, *illos Viros doctos, & literatos, eóſque Catholicos,* qui doceant poſſe ope, & auxilio *B. Virginis* ſalvari Peccatores impœnitentes *in ſenſu compoſito finalis impænitentiæ*: aut ex infernali carcere educi, & in integrum reſtitui damnatos, ſuppoſitâ Sententiâ, ſeu decreto, finalis & ultimatæ damnationis? Quis eorum aſſerũit contra *Scripturam*, & bonam *Theologiam* non debere in *DEUM* ultimatò referri omnem *Deiparæ, & Sanctorum* honorem, & gloriam? Quis ex illis dixit non ſolùm *Chriſtum*, verùm etiam *Deiparam eſſe Advocatam, & Mediatricem* hominum primariam apud DEUM? Quis ipſam conſtituit in eodèm parallelo, ſeu æqualitate cum DEO, aut Chriſto? Quis profeſſus eſt deberi *Deiparæ* Cultum *Latriæ* ſoli *DEO* proprium, etiamſi nonnulli docuerint poſſe (ſeclusò ſcandalô puſillorum) concedi ipſi cultum Latriæ, ſimilem illi, quem citra injuriam Divinitatis Eccleſia Catholica attribuit clavis aut Cruci Chriſti? Quis è numero Virorum doctiorum, & literatorum ſibi, aut aliis perſuaſit, in lignis, coloribus aut lapidibus, ex quibus efformatæ ſunt *Thaumaturgæ B. Virginis vel Sanctorum Statuæ* contiueri aliquam Virtutem effectivam miraculorum, quæ ad ejuſ-

(a) *Pagina 4.*

Digitized by Google

ejuſmodi imaginum cultum & venerationem, hinc inde conſequuntur? aut in his cum delectu, an albæ ſint, an fuſcæ, vel nigræ, collocari debere ſpem, & fiduciam Fideliū à Deipara aut Sāctis beneficia expoſcentium? Taceo multa alia *Autoris Anonymi* commenta, de quibus inter *Catholicos* nullus Vir doctus, & literatus unquam ſomniavit. Scandalizat inſuper hic Autor ſuis Monitis, tot figmentis contra *Orthodoxos Mariæ Cultores*, refertis, tam *Catholicos*, quàm *Acatholicos* in eo, quòd videatur ex profeſſo voluiſſe ſuſcipere patrocinium hæreticorum in affingendo uno errorum, de quo cum manifeſta injuria *Eccleſiam Catholicam* culpant, *Lutherus*, *Calvinus*, & præcipui quique *Hæreſiarchæ*. Cùm enim teſte Petro Caniſio (*a*) è Societate JESU (quem in ſua Apologia & pluribus aliis locis magni ſe æſtimare, & meritò oſtendit *Autor Anonymus*) *Adverſarios nihil magìs offendat, quàm ſplendor Titulorum, quibus Mariam extollit Eccleſia, & hinc præcipuam inſectandi anſam arripiant, ut nos DEO contumelioſos, & Chriſto injurioſos, ſimúlque erga Deiparam ſuperſtitioſos eſſe clamitent*; numquid non hiſce inſulſis clamoribus in ſuis Monitis plurimùm cooperatur eorum *Autor*, dum Titulos *Advocatæ*, *Mediatricis*, *Matris Miſericordiæ*, & ſimiles, quibus à multis ſæculis uſquè in præſens in colenda *Deipara*, ſano utique & optimo ſenſu conſtanter utitur *S. Romana Eccleſia*, ipſe juxta mentem *Adverſariorum*, in pravum, & à Scriptura ac recta ratione alienum ſenſum detorquet: & per hoc eandem S. Eccleſiam apud Adverſarios, valdè denigrat & deturpat? Rectè nimirùm advertit *Facultas Theologica Moguntina* in libello cui titulus: *Notæ ſalubres ad monita Autoris incogniti, nec ſalutaria, nec neceſſaria*: ſæpiùs memorata Monita eſſe concinnata in gratiam ſirmandarum hæreticarum calumniarum, *quibus genuinus & totius Eccleſiæ Catholicæ praxi receptus Deiparæ cultus à Lutheri & Calvini cæterorúmque Hæreticorum Sectatoribus, jam à ſæculo, & quod excedit, fuit traductus*: & *Autorem Anonymum, paucis illis pagellis plus detrimenti S. Fidei intuliſſe, quàm plures Sectarii ſpiſſis ſuis voluminibus*. Ut autem cœpto diſcurſui pluribus inſiſtam, Cur (ſi *Deiparæ* & *S. Romanæ Eccleſiæ* ſincerus amicus haberi voluit *Autor Anonymus*) titulos *Deiparæ* ab *Adverſariis* temerè improbatos cum *Petro Caniſio* (*b*) *Salazario* (*c*) *Spinello*, imò & ipſo, quem toties in ſua *Apologia* pro ſe allegat, rigido & *cenſorio* rerum divinarum ac Humanarum *Catone*, *Theophilo Raynaudo*, atque aliis multis *Doctoribus* pro *Deiparæ* ac *Sanctorum*, veneratione, calamo, & ore ſtrenuè decertantibus, pro viribus non defendit? Cur (prout faciunt memorati *Autores*) *Hæreticorum* figmenta non detegit? Cur rectè & laudabiliter *à Fidelibus* conceptam, atque

in Scri-

(*a*) *lib. 5. de Deip. c. 12.* (b) *lib. 5. de Deip. c. 12.* (c) *lib. de Concept. c. 21.*

in Scripturæ & SS. Patrum authoritate fundatam opinionem, de *Marianæ* interceſſionis apud *DEUM* potentia, & efficacia, imminuere ſatagit? O quàm vereor, ne parum, aut nihil obſtantibus Apologiæ ſuæ proteſtationibus, dicat illi SS. DEI Mater: (a) *Hic homo labiis me honorat, cor autem ejus longè eſt à me.* Ego ſanè non mirarer, ſi attento tam operosò Autoris Anonymi in minuendo Deiparæ cultu & veneratione, conatu, Zeloſus quiſpiam *Marianæ gloriæ* propugnator, ſuſpicaretur, ipſum eſſe de tribu eorum, quos *D. Epiphanius* (b) appellat *Antidico-Marianitas*; hoc eſt (prout ſe ipſum explicat) *Mariæ Adverſarios; perpetuam cum illa inimicitiam gerentes, & ejuſdem honori ac gloriæ ubique detrahentes.* Adeò nempe eorum veſtigiis & conatibus in ſuis Monitis tenaciter inhæret. Quòd ſi verò ipſe ſuis hiſce nonnullis in ſpeciem plauſibilibus Monitis id, quod intendit, efficere poſſet, ut non ſolùm Epiſcoporum aliqui (quod reverà ei ſuccedere incipit) verùm etiam Roma ipſa ejus moliminibus vel applauderet, vel ad ea prorſus conniveret; tum enim verò magnam aſſecutus fuiſſet partem ſuæ perverſæ intentionis, quâ nempe occaſio daretur, & anſa Heterodoxis ſibi gratulandi, quòd tandem in Eccleſia Catholica toleratus (quem Anonymus exaggerat) abuſus, detectus ſit ope eorum, qui Magiſtrum commendaret, cujus tot propoſitiones ab Eccleſia damnatæ ſunt; & publicis exedris populo plauſibiliter Lutheri prudentiam & providentiam laudandi, quòd Eccleſiam etiam in hoc abuſu, ut præfertur, Cultus Deiparæ & Sanctorum reformaverit.

Ut autem Ipſa Columna veritatis, id eſt ſummus Pontifex in Anonymi Sententias trahatur, hoc equidem tam impoſſibile eſt, quàm ut lux, & tenebræ, veritas & falſitas, pietas, & impietas, circa idem formaliter convenire poſſint.

ANIMADVERSIO VI.

Exigua Autoris Anonymi erga SS. Patres Obſervantia & Reverentia.

ANimadvertendū *Sextò. Autorem Anonymū* improbando titulos *Advocatæ, Mediatricis, Corredemptricis, Matris Miſericordiæ*, & ſimiles, *SS. DEI Genitrici* à devotis *Clientibus*, tribui ſolitos, non tam carpere, & indiſcretionis arguere hos Clientes, quàm SS. Patres, Auguſtinum, Hieronymum, Baſilium, Bernardum, Anſelmum, Rupertum, Ildephonſum, &

(a) *Matth. 15.* (b) *Hæreſ. 78.*

Digitized by Google

& innumeros alios, ex quorum libris & ſcriptis hi tituli (ut ex dicendis conſtabit) de verbo ad verbum excerpti ſunt. In quo puncto iterum æmulatur perverſum *Lutheri, Calvini, & aliorum Hereſiarcharum ingenium*, qui *SS. Patrum* Authoritatem impiè, & ſcurriliter traducunt, eóſque (ſicut ex magna parte facit (*a*) iſte Autor) ignorantiæ, imprudentiæ, hyperbolarum, & anomalarum phraſium condemnant. Ex quo capite non vanè quis ſuſpicari poſſet, eum de *Orthodoxa Fide* non optimè ſentire; ſiquidem (teſtibus *D. Auguſtino* (*b*) *Gregorio Nyſſeno* (*c*) *Vincentio Lyrinenſi* (*d*) *Theophilo Raynaudo* (*e*) & aliis) hoc maximè nomine *Catholici à Sectariis* diſcrepant, quòd *Heretici Patribus* infrunitè obloquuntur; è contrario verò Catholici, iiſdem ſe in dictis, & ſcriptis exhibent admodum reverentes. Dicat autem obſecro mihi *Autor Anonymus* (ſi quidem inter genuinos *Eccleſiæ Catholicæ* filios numerari appetit) undè, ſecluso Verbo DEI ſcripto, aut tradito aptiùs, & prudentiùs cultum, & titulos *Deiparæ* competentes addiſcere potuerit *Eccleſia Catholica*, quàm à *SS. Patribus*, qui juxta *D. Auguſtinum* (*f*) ſunt: Montes æterni, à quibus nos DEUS mirabiliter illuminat; juxta Leontium Præſulem Bizantinum (*g*) Admirabiles Spiritûs S. Conſiliarii: juxta Heſychium Presbyterum Hieroſolymit: (*h*) Os Chriſti, & Eccleſiæ columnæ: juxta Petrum Damiani (*i*) ſapientiſſimi univerſi orbis judices: quos denique nequè mentis præſtantia, nequè copioſa *Spiritûs S.* illuſtratio, nequè ullum naturale aut ſupernaturale adminiculum defecit, ad rectè pronunciandum, de rebus, quæ myſteria Fidei aliqualiter concernunt. Cúmque etiam teſte *D. Baſilio Selevcienſi Præſule:* (*k*) *Non quorumcunque ſit laudare Beatiſſimam Virginem, ſed duntaxat hominum perſpicaciſſimorum; quíque corpore, & animo ſincerè expurgati, nec non emicatione quâdam divina gratia affatim illuminati, debitam DEI Matri laudationem concinnent:* tales ubi meliùs reperias, quàm inter *SS. Patres*, quos Spiritus S. ſicuti aliorum myſteriorum Fidei, ità etiam cultûs, & titulorum B. Virgini convenientium peritiores eſſe voluit; & ad hæc dignè, convenientérque enuncianda, copioſiùs inſpiravit. Ex quo congruum eſt ſentire, & dicere Deiparam concinnatas ſibi à *SS. Patribus* laudes, ut eſt æqui, ac recti ſapientiſſima, & obſervantiſſima, longè pluris facere, quàm prolatas aliundè, quamvis lectioribus, & elegantioribus fortaſſe phraſibus (quod nonnullis *SS. Patribus* ferè neglectui eſt) fuerint conveſtitæ.

Adver-

(a) *Monit. n.* 10. (b) *Lib.* 1. *cont. Julian. c.* 4. & *l.* 2. *c.* 10. (c) *Orat. in Eunom.* (d) *c.* 4. *Commonit.* (e) *Aſcetic. c.* 14. *de Apoſta:* (f) *in Pſalm.* 65. (g) *l.* 1. *cont. Neſtor. & Eutich.* (h) *Centur.* 2. *c.* 65. (i) *opuſc.* 16. *c.* 3. (k) *Orat.* 39.

Digitized by Google

Advertenda proinde eſt hoc loco ingens Autoris Anonymi præſumptio. Cùm enim plerique SS. Patres, tam Latinæ, quàm Græcæ Eccleſiæ apertè profiteantur, ſe non eſſe ſufficientes, ad dignis laudibus, & præconiis celebrandam Deiparam, atque omnes titulos, quibus eam ſuppliciter interpellant, eſſe nimìs exiguos, & declarandis ipſius prærogativis prorſus impares; audet nihilominus ipſe, quamvìs homo privatus, & fortaſſe neque corrigiam calceamenti SS. Patrum ſolvere dignus, eoſdem corrigere, & tam ipſis, quàm toti Eccleſiæ Catholicæ præſcribere limites, intra quos, citra errorem coli poſſit, & debeat Deipara. Attende, ſi ſapis, Autor Anonyme, quid de dignè prædicandis SS. DEI Genitricis laudibus, & prærogativis ſenſerint, tùm *Latini*, tùm *Græci* Doctores; atque inprimis Theologorum apex, & Scientiarum omnium plenitudine conſpicuus *Doctor Auguſtinus* ità Virginem alloquens. (*a*) *Quid dicam de te pauper ingenio? cùm quidquid de Te dixero, minor laus eſt, quàm tua Dignitas mereatur? Quid nos tantilli, quid actione puſilli, in laudibus Mariæ referemus? cùm etſi omnium noſtrûm membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. Altior Cœlo eſt, de qua loquimur; abyſſo profundior, cui laudes dicere conamur.* Et Purpuratus Eccleſiæ Præſul *Petrus Damiani:* (*b*) *Quidquid de Te à mortali homine dicitur, Celſitudinis tuæ meritis non æquatur. Quam enim excellens gratia ſuper Angelos elevat, ad ejus dignè efferenda præconia humana fragilitas non aſpirat.* Sed & mellifluus *Doctor Bernardus* (*c*) *Elevata eſt,* inquit, *magnificentia tua ſuper cælos, & ſuper omnem terram gloria tua. Ità ut nec in Cælo inveniatur Creatura, quæ tuam dignè laudare queat magnificentiam; nec in terra ſit, qui gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim eſt dignus aperire librum prærogativarum tuarum, & ſolvere ſignacula ejus.* & alibi: (*d*) *Per iſtas XII. ſtellas intelligimus duodecim prærogativas in B. Virgine fuiſſe. Regia Generatio, Angelica Salutatio, præcipua Sanctificatio, mirifica Conceptio, integritas ſinè corruptione in continendo, fœcunditas ſine commiſtione in concipiendo, facilitas ſine aggravatione in Filium ferendo, Suavitas ſine afflictione in pariendo, Sobrietas pudorata in eloquio, humilitas comprobata in animo, acerbitas deguſtata in Martyrio, & crudelitas conſervata in triduo.*

Proh! Quantæ Virginis B. ſuper omnes alias creaturas prærogativæ! Similia habent *S. Joannes Damaſcenus* (*e*) *Baſilius Seleucienſis* (*f*) *Cyrillus Alexandrinus* (g) *S. Germanus Conſtantinopolitanus* (*h*) *S. Anſelmus Cantuarienſis* (*i*)

 Andre-

(a) *Serm. 35. de SS.* (b) *Serm. 3. de Nat. B. V.* (c) *Serm. 2. ſuper Salve Regina.* (d) *Serm. in Apoc.* (e) *Serm. 1. de Aſſumpt.* (f) *Orat. 39.* (g) *Orat. cont. Neſtor.* (h) *Orat. de Nativit.* (i) *in medit.*

Andreas Cretenſis (*a*) *Sophronius* (*b*) *Amadeus Lautanenſis S. Bernardi Coætaneus* (*c*) *Arnoldus Carnotenſis* (*d*) *Philippus Abbas Bonæ ſpei* (*e*) *Richardus à S. Laurentio* (*f*) & innumeri alii, qui omnibus retrò ſæculis, uſque ad hoc poſtremum Virginearum laudum præconia celebrârunt, & veluti gemini *Cherubini* (hoc nomine ob plenitudinem ſcientiarum, rerúmque tam divinarum, quàm humanarum profundiſſimam cognitionem, digniſſimi) hanc *animatam arcam*, totiúſque humani generis apud *DEUM Propitiatorium*, ſuorum ingeniorum, veluti expanſis alis, adversùs impiiſſimas *Hæreticorum* blaſphemias, & perverſas *Pſeudo-* aut *Frigido-Catholicorum* machinationes protexerunt. Quos idcircò obiter ſaltèm commemorare placuit, ut tantò magìs innoteſcat faſtuoſa, & ſupra omne, quod *DEUS* non eſt, ſe ſe extollens *Autoris Anonymi*, arrogantia; ut qui voluerit plus omnibus hiſce *SS. Patribus* ſapere, & de ſuo cerebro titulos, qui *Deiparæ* dignitatem, & merita, vel excedant, vel adæquent determinare. Exiſtimo equidem hunc Autorem, ſi Chriſto in Nazareth commoranti, & Mariæ ac Joſepho per annos propè 30 (prout indicant verba *D. Lucæ.* (*g*) *Deſcendit cum eis & venit Nazareth. Et erat ſubditus illis*) ſe ſe humiliter ſubiicienti, ac miniſtranti, coævus extitiſſet, improbaturum fuiſſe hoc tam ſtupendum filialis obſervantiæ erga *Matrem*, & gratæ pietatis erga Nutricium Joſephum exemplum, tanquam divinæ perſonæ prorſus inconveniens, eámque ob infinitam inter ſe ac *Mariam & Joſephum* diſtantiam valdè dedecens; quandoquidem præfatus *Autor*, adeò exilem de dignitate, & excellentia *Deiparæ* opinionem in ſuis *Monitis* præſefert, ut clarè appareat ipſum firmiter tenere, ac credere, *Matrem DEI Mariam*, non eſſe dignam, quæ aliquid honoris, aut gloriæ debeat cum *Chriſto* ſuo Filio habere commune. Exaggerat inſuper vehementer hanc animi, *Autoris Anonymi*, elationem, etiam iſtud: quòd improbando titulos, *Advocatæ, Dominæ, Mediatricis*, & ſimiles, quibus in colenda *B. Virgine Nos* ſinceri & *Orthodoxi Mariæ Clientes* utimur, eo ipso tacitè & ex obliquo carpat ipſam *Sanctam Sedem Apoſtolicam*, quaſi perperàm, & indiſcretè, *Hymnos & Antiphonas*, in quibus ſub ejuſmodi titulis *Deipara à Fidelibus* invocatur, approbaverit, & *Officio Canonico*, à multis ex præcepto quotidiè recitando, inſerüerit: ideòque in fine ſuorum *Monitorum* præſcribit formam, juxta quam prætermiſſis & truncatis omnibus, qui ei diſplicent, titulis, Deipara poſſit, & debeat invocari. Quam ipſius præſumptionem, dum mecum accuratiùs expendo, difficulter abſtineo, ut non ſuſpicer ipſum fuiſſe afflatum veneno illius Beſtiæ, cui, (uti refert D. Joannes in ſua Apocalypſi (*h*) *datum eſt os loquens ma-*

(a) *Serm. 2. de dormit. Deip.* (b) *Serm de Aſſumpt.* (c) *Homil. 2. de Deip.* (d) *l. de laud. Deip.* (e) *l. 4. in Cant. c. 1.* (f) *prolog: 1. in l de laud. Deip.* (g) *c. 2.* (h) *c. 13.*

Digitized by Google

magna; blaſphemare nomen ejus (id eſt Chriſti, & tabernaculum ejus) hoc eſt Deiparam, in qua Chriſto novem menſibus habitare complacuit, & eos, qui in Cœlis habitant, id eſt, SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores.

ANIMADVERSIO VII.

Autor Anonymus malè carpit Studium Catholicorum Doctorum in inveſtigandis & illuſtrandis ſpecialibus Deiparæ prærogativis.

ANimadvertendũ *Septimò*. Quanquam veriſſimum ſit, quod de ſervanda moderatione in extollendis meritis, & prærogativis Sanctorum ſcripſit *Petrus Cellenſis:* (a) *Leve eſt omne verbum, quod neque teſtimonio ſolidum, neque autoritate verum eſt: nec eſt alicujus momenti quidquid humani ſensûs ingenioſa fornax commentata fuerit, ſi examine careat veritatis; Pondus ſiquidem Sanctuarii, quo tam merita, quàm præmia hominum, & Angelorum appenduntur, penes veritatem in arca Juſtitiæ perpetuâ cuſtodiâ reconditum aſſervatur.* Etſi inquam hæc veriſſima ſint, non ideò tamen reiiciendas eſſe doctrinas pro amplificanda Deiparæ gloria à Viris piis, & eruditis recèns ingenioſè elucubratas, eò quòd circa eas nihil ab Eccleſia fuerit hactenus expreſsè definitum, aut in Scripturis divinitus revelatum; ſed ſufficere, quòd non fuerit, ſive directè, ſive indirectè revelatum contrarium; & nitantur *verbo DEI ſcripto*, aut *tradito*, novâ ſcrutatione diligentiùs, quàm antehac expenso; vel deductis indè per bonam ratiocinationem conſecutionibus, vel antiquorum Sapientum judicio, vel idoneo rationis fundamento: germina namque, juxta *SS. Hilarium & Ambroſium*, ſunt *Evangelicæ veritates*, in eo frugiferæ, quòd intellectûs fœcundi ſolo exceptæ, conſequentias, & illationes pariant, ejuſdem ſecum ſubſtantiæ, & dignitatis. Prudenter quoque obſervârunt magnæ doctrinæ Theologi, apud *Joannem Pelbartum* (b) illuſtre *Seraphici Ordinis* decus, *DEUM* velificantem ſtudiis piorum erga *Deiparam*, pauciora de illis, quæ ad eam attinebant (putà *de Conceptione, ortu, vita, & obitu*) quæ multis prodigiis illuſtria fuiſſe, tanquam certum, & à nemine, niſi anguſti pectoris, & emotæ mentis negandum, ſupponit Eminentiſſimæ Dignitatis Scriptor *Cardinalis Baronius* (c) ſacris litteris conſignari voluiſſe, quàm de Conceptione, & ortu *Samſonis, Samuelis, Hieremiæ, & Joannis Baptiſtæ*; ut eſſet, unde devoti ejuſdem

(a) *l. 6. Epiſt. 23.* (b) *l. 7. Stellar. p. 1. a.* (c) *in apparat. ad Annal. Eccl.*

Digitized by Google

juſdem Clientes ſuum erga Deiparam affectum proderent, & exercerent; nonnulla nova circa eam rationabiliter excogitando, vel per privatam revelationem percipiendo, & Eccleſiæ Cenſuræ ſubiiciendo. Sicuti in ſimili per multas & longas Doctorum virorum diſceptationes, ac lucubrationes, *Divina Sapientia*, eruderari, & elucidari fecit complures veritates, quæ deinde à diverſis *Conciliis*, & noviſſimè *à Tridentina Synodo*, pro articulis *Fidei*, in tota *Eccleſia Catholica* recipiendis, fuerunt definitæ. Atque ad hoc ipſum alacriter præſtandum omnes *Fideles*, promiſſione vitæ æternæ, invitavit Concilium Baſileenſe (*a*) his verbis. *Elucidantibus divina gratia myſteria, mercedem glorioſam repromiſit æterna DEI Patris Sapientia, dum ait, qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Quod etiam de glorioſa Virgine, quæ ipſam Patris Sapientiam, DEI Filium æternum in utero pertulit, ac mundo peperit, Sacroſancta legit Eccleſia. Nam quidquid de dignitate ac Sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc non dubium eſt, ad laudem & honorem Filii ſui pertinere. Et qui honorificant gratiam, & Sanctitatem Matris, honorificant, & elucidant glorioſum nomen Filii ejus, qui ipſam ſanctificavit, & replevit gratiâ. Unde ſi in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino DEO eſt, præclara merita parturit, in ea re ſpecialiter fructus uberrimos afferre, ſperanda eſt, quæ Sanctificationem & Dedicationem Templi illius concernit, in quo ante ſæcula antequam terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinavit, prima & æterna veritas.* Iſta *Concilium*. perperàm proinde *Autor Anonymus*, tanquam pernicioſè contentioſas, & invicem mordentes improbat doctiſſimorum Virorum lucubrationes in illuſtrandis, & in lucem provehendis *SS. Deiparæ* dotibus & prærogativis. Ut enim cæteros taceam, quanto cum fructu, & omnium propè Fidelium approbatione pro adſtruenda *Immaculata Virginis Conceptione* (quam tacitè admordere videtur citatus Autor) decertaverit *Doctor Subtilis*, *Joannes Duns Scotus* cum ſua *Schola*, teſtatur Orbis Catholicus propè univerſus. Et quamvis nihil adhuc de hoc myſterio Eccleſia definiverit, poſſe tamen definire, quando ità expedire judicaverit, multis eruditè probat Franciſcus Suarez. (*b*) Cùm enim hæc veritas ſit ſupernaturalis, multùm referens ad Eccleſiæ pietatem & utilitatem, poteſt res pervenire ad eum ſtatum, in quo abſquè nova, & explicita revelatione, Eccleſia habeat ſufficientia motiva ad eam definiendam, ex ſola revelatione DEI tacita, & implicita, ſibi per doctiſſimorum Virorum lucubrationes ſufficienter propoſita. Sicuti in ſimili definivit quæſtionem de *Habitibus Infuſis*; de *Canonica* Authoritate aliquorum librorum *Sacræ Scripturæ*: *de carentia omnis peccati venialis*

(a) *Seſſ. 5.* (b) *Tom. 2. in 3. p. d. 3. ſ. 6.*

Digitized by Google

nialis in eâdem SS. Virgine, & plura alia. Ad faciendam quippe autoritate Sedis Apoſtolicæ alicujus articuli definitionem, ſufficit ut veritas illius ſit ſupernaturalis, in *Traditione*, vel *Scriptura* implicitè contenta; & creſcente communi conſenſu Fidelium in Eccleſia (per quam Spiritus S. Traditiones & Scripturam ſolet explicare) paſſim recepta. Tunc enim definitio Eccleſiæ propter infallibilem Spiritûs S. aſſiſtentiam, habet vim cujuſdam revelationis reſpectu noſtri. Hæc autem omnia convenire myſterio *Immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptionis*, patet ex doctiſſimis Commentariis, & libris plurimorum graviſſimorum & Doctiſſimorum Virorum, hanc veritatem eruditè probantium, & confirmantium.

Quorum diſſertationes, ſi Autor Anonymus voluiſſet accuratè legere, & expendere, nequaquam auſus fuiſſet, pronunciare (*a*) eos *rixis, & contentionibus ad nihil utilibus, niſi ad ſubverſionem animarum ſeſe implicuiſſe.* Legiſſet enim in illis *Primò*: ſtare pro hoc myſterio plurima SS. Patrum teſtimonia, quos per ſingula ſæcula de Immaculata Deiparæ Conceptione, quàm optimè ſenſiſſe, demonſtrant Franciſcus Suarez. (*b*) Ferdinandus Salazar (*c*) & Benedictus Juſtinianus. (*d*) *Secundò*: habere ſibi faventem *Scripturam Sacram*, & varios in eadem hujus myſterii typos; quos expendit & approbat, magnus alioqui (ut ſuprà memoravi) in rebus tum Sacris, tum profanis cenſurandis *Cato, Theophilus Raynaudus in Dyphtichis Marianis.* (*e*) *Tertiò*: Habere ſibi patrocinantem auctoritatem *Concilii Tridentini* Decreto de peccato Originali (*f*) apertè declarantis: *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere hoc decreto, ubi de peccato agitur, Beatam & Immaculatam DEI Genitricem Virginem Mariam.* *Quartò*: Habere pro ſe Conſtitutiones Summorum *Pontificum, Pauli V. & Gregorii XV.* Qui etſi contrariam Sententiam erroris in Fide nondum damnaverint, eidem tamen interea ità arctos limites circumſcripſerunt, ut nequè ad *ſacrum pulpitum in templis, nequè ad Magiſtralem ſuggeſtum in ſcholis*, aut alia quacunque ratione, citra periculum graviſſimæ Cenſuræ, *in publicum prodire audeat; imò, quod multò arctius eſt, nec ad privatum cum altero colloquium admitti poſſit.* *Quintò*: Habere ſibi adhærentem Authoritatem *Sedis Apoſtolicæ*, apertè declarantis; Sententiam quæ *Immaculatæ Virginis Conceptioni* adſtipulatur, non eſſe ullâ Cenſurâ dignam, & graviter reprehendentis illos, qui eam percellere auſi fuerint: collaudantis etiam Cultum *DEI & Beatæ Virginis*, ex ea Sententia exhibitum, & ad eum exhibendum, quâ Solennis *Feſti inſtitutione*, quâ Officii peculiaris recitatione, quâ Indul-

(a) *Monit. n. 18.* (b) *ſuprà.* (c) *l. 6. de Concept. c. 42.* (d) *in 1. Ioann. c. 1.* (e) *punct. 7. a. n. 9.* (f) *Seſſ. 5.*

Digitized by Google

dulgentiarum largitione *Fideles* omnes invitantis. Prout videre eſt in duplici de hac re Decreto Sixti IV. confirmato per *Tridentinam Synodum.* (a) *Sexto* : Huic Sententiæ adſtipulatos fuiſſe, *ſupremos Eccleſiæ Paſtores, Alexandrum VI. Julium II. & Leonem X.* qui Religionem inſtitutam in honorem *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ*, non ſolùm approbârunt, verùm etiam multis *Privilegiis* (ut videre eſt in Compendio Mendicant. VII. (b)) exornârunt, plurimùm quoque ſuffragari Conſtitutionem Alexandri VII. *Septimo* : Faviſſe eidem jampridem unanimem conſenſum *Concilii Baſileenſis* (c) docentis hanc Sententiam *eſſe piam, & Fidei ac Scripturæ conſonam* : vetantiſque docere contrariam. Quamvis autem hoc *Concilium* fuerit illegitimum (non propter aliquam Hæreſim, ſed propter Schiſma inter ipſum & *Eugenium IV.*) multùm tamen facit ad præſentem veritatem, exhibendo nobis communem tot Eccleſiarum & Epiſcoporum, qui illi Concilio interfuerunt, conſenſum & approbationem. *Octavò* conſpiràſſe, (interpoſitâ etiam jurisjurandi Religione) ad hanc Sententiam pro viribus tuendam, & defendendam, ſummos quoſque Imperatores, Reges, Principes; celeberrimos diverſarum *Religionum Ordines*; pleraſque Orbis Univerſitates, & totum penè *Populum Catholicum*; quamdiu aliter à Sede Apoſtolica ſtatutum & definitum non fuerit. Quorum tam unanimis conſenſus juxta ſubtilem *Doctorem Scotum* (d) *eſt ſignum ſufficiens, latentis in hoc aut illo myſterio veritatis. In rebus enim,* inquit, *non evidentibus externis, nec principiis evidentiam habentibus, non conſentirent firmiter, & infallibiliter multi diverſimodè diſpoſiti, niſi à cauſa ſuperiori moveretur ipſorum intellectus ad aſſenſum.* Et idcircò rectè notavit *Franciſcus Suarez* (e) non eſſe veriſimile, permiſſurum fuiſſe *Spiritum Sanctum Univerſam Eccleſiam* in re tanti momenti graviter errare; imò credendum eſt, ex illius inſpiratione hunc univerſorum propè Fidelium ſenſum affectúmque promanâſſe. Neque mirum videri debet, antiquos Patres pauca de hoc Virginis privilegio fuiſſe locutos; tum quia *Spiritus* S. (prout loquitur (f) *S. Gregorius*) paulatim ſuam Eccleſiam docet, tum quia aliis *Fidei myſteriis* gravioribus, magíſque neceſſariis explicandis, ac defendendis diſtinebantur. Poſteaquam autem, ante annos prope ſexcentos, præſertim verò ab annis ducentis, Veritas hæc clariùs doceri atque illuſtrari cœpit, ità *Fidelium* animis inſedit, increvitque ejus Fides, ut (prout modò dictum fuit) jam ferè omnium conſenſione recepta ſit. Addo, nos poſſe non improbabiliter opinari, Spiritum Sanctum, S. Eccleſiam Catholicam ſemper di-

ri-

(a) *Seſſ.* 5. (b) *V. communicatio* §. 18. & *V. conceptio* §. 10. 12. & 13. (c) *Seſſ.* 13. (d) *q.* 2. *prolegom.* 5. (e) *t.* 2. *in* 3. *p. d.* 3. §. 3. (f) *homil.* 26. *in Ezech.*

rigentem, idcircò etiam non voluiſſe hanc quæſtionem, de *Immaculata Conceptione Deiparæ*, decidi pro *articulo Fidei*, ut occaſione hujus veritatis penitiùs inveſtigandæ, ingens gloriæ *Deiparæ* auctuarium accederet. Hinc namque factum, ut contra veterum *Thomiſtarum* Sententiam, inter *Recentiores* præclariſſimus Doctor *Joannes à S. Thoma* è Familia *D. Dominici* nuper Catholico Regi *Philippo IV*. à Confeſſionibus, in ſpeciali & doctiſſimo ſuo Tractatu *Angelicum Doctorem* ab ea ſuſpicione quaſi minùs bene ſenſiſſet de *Immaculata Deiparæ Conceptione*, multis argumentis doctiſſimè vindicaverit, & in Hiſpania complures Cathedras Academicas, in ſuam Sententiam pertraxerit; genuinum S. Thomæ in hac controverſia ſenſum fundatiſſimè declarando. Et prodiit etiam non ità pridem Eruditus Author è Cœtu PP. Scotiſtarum, qui præcipua ſenſa *D. Thomæ Aquinatis* cum ſenſis *D. Bonaventuræ* & Doctoris ſubtilis *Scoti*, ita eruditè combinavit, ut manifeſtè appareat, eos non ità longè ac communis exiſtimatio præſefert, inter ſe opinionibus, & ſententiis diſſenſiſſe. Adeò nempè utiles ſunt doctorum Virorum lucubrationes! Nequè obſtat Doctorem Angelicum fuiſſe in hac controverſia in multis locis ſubobſcurè, & quaſi dubiè prolocutum. Nullum enim mihi dubium eſt, ipſum futurum fuiſſe patronum explicitum, & determinatum Sententiæ *Immaculatam Deiparæ Conceptionem* propugnantis, ſi illius tempore fuiſſet tantus hac in re *populi Orthodoxi Conſenſus*, & favor S. Sedis Apoſtolicæ, & niſì pro ingenita ſibi modeſtia veritus fuiſſet, in cauſa tam gravi, & tunc nondum tantoperè examinata & explorata, aliquid certi determinare, & ſic eidem Sacræ Sedi ultimatam hujus Controverſiæ deciſionem ſibi reſervanti quoquo modo præjudicare. Taceo hoc loco multa alia argumenta ex ipſis (ut ſic dicam) viſceribus cauſæ deducta, & à doctiſſimis quibuſque Scriptoribus, præſertim verò à *Franciſco Suarez* (a) pro vindicanda ab *Originali* labe *Deipara* Orbi toti propoſita. Neque enim opus eſt calamo, aut ſubſidio linguæ humanæ, quando *linguæ cœleſtes* (ità miracula vocant *SS. Patres*) in favorem hujus veritatis, toto Orbe hinc inde patrata, pro eâdem, tanquam prudenter credibili, ſufficientiſſimè perorant.

Quanquam autem Autor Anonymus fingat in ſua *Apologia* ſe myſterio Immaculatæ Conceptionis non malè affectum; ex antecedentibus tamen, & conſequentibus illius verbis, præcipuè verò ex Art: 18. ſuorum Monitorum colligere eſt, ipſum magnoperè deſiderare, ut quouſque aliquid certi circa veritatem *Immaculatæ Conceptionis ab Eccleſia* ſtatuatur, & definiatur, omnibus Doctoribus interdicatur, & altum ſilentium imponatur quidquam dicendi aut ſcribendi

E

(a) *ſuprà.*

bendi pro defenſione Deiparæ ſine macula Conceptæ. Quod à fortiori dictu-rus eſſet, de aliis ejuſdem dotibus, & prærogativis, pro quibus non militant tot argumenta, quot pro myſterio *Immaculatæ Conceptionis Deiparæ*: licet de iis, cum magna Fidelium, & totius Eccleſiæ approbatione Theologi inter ſe diſpu-tent, & controvertant. Imò idem univerſim diceret de omnibus *quæſtionibus Theologicis*, quæ circa illuſtranda, & magìs declaranda Fidei & Religionis Chri-ſtianæ myſteria in *ſcholis* ſolent eruditè diſcuti, & agitari, quouſque aliquid certi de iiſdem ab *Eccleſia* decernatur, aut definiatur. Quod idem eſt, ac velle totam *Theologiam Scholaſticam* juxta votum *Lutheri* evertere, & ad ſolum ver-bum DEI provocare. Neque ab hac ſuſpicione ſatìs ſe purgat *Autor Anony-mus*, dum in ſua Apologia (*a*) aſſerit ſolas contentiones, & rixas, non autem doctas eruditorum Virorum lucubrationes, circa illuſtrandum, & diſcutien-dum myſterium *Immaculatæ Conceptionis* reprobaviſſe. Nam his & ſimilibus incommodis, ſinè indiſcretis ipſius *Monitis* ſufficienter proviſum erat, per cla-ras *Conſtitutiones Sixti* IV. & aliorum Pontificum, ſeverè vetantium, & ſub gra-vibus Cenſuris ac pœnis interdicentium, partibus de Immaculata Conceptiò-ne Deiparæ, inter ſe litigantibus, omnes contentiones, quæ aliquod ſcandalum generare, aut Charitati proximi officere poſſent. Adde, non eſſe novum in Ec-cleſia DEI, oriri quandoque doctas & minimè probroſas contentiones, aut diſ-ſenſiones. Tales enim olim fuiſſe inter *Apoſtolorum* Principes, *Petrum & Pau-lum*, inter DD. *Paulum & Barnabam*; inter *SS. Hieronymum & Auguſtinum*: in-ter *SS. Joannem Chryſoſtomum, & Epiphanium, inter Diſcipulos Chriſti, & Joannis Baptiſtæ*, imò & inter ipſos *Angelos Perſiæ* & *populi DEI*, patet tum ex *Scripturæ* (*b*) tum ex *Hiſtoria Eccleſiaſtica*. De quibus loquens *D. Hieronymus*, (*c*) *Non-ne*, inquit, *Apoſtoli ſalvis inter ſe amicitiis diſſenſerunt, cùm Paulus & Barna-bas, propter Joannem, cognomento Marcum, ſtomachati ſunt, & ſeparavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat?* Habent namque amantes (utì rectè advertit Philippus Abbas Bonæ-vallis (*d*) ſuas iras ſpe gratioris concor-diæ, & vulgò dicitur: quòd *amantium iræ* ſint *amoris redintegratio*. Ne-què idcircò quòd ſibi invicem contrarientur Elementa, abominanda venit continùa eorum inter ſe pugna, cùm ſinè tali conflictu non generarentur *mixta* toti Univerſo longè utiliſsima, imò neceſſaria.

ANI-

(*a*) *pag.* 55. (*b*) *Daniel* 10. (*c*) *Apolog. cont. Rufin.* (*d*) *l.* 6. *c.* 5.

ANIMADVERSIO VIII.

Cultui Deiparæ in Eccleſia Catholica recepto, nihil præjudicant nonnullorum de vulgo errores.

ANimadvertendum *Octavò.* Non ideò reprobandos aut corrigendos eſſe titulos B. Virgini à SS. Patribus, & Eccleſia Catholica attribui ſolitos, quòd iis devotus fœmineus ſexus, aut rudis popellus, ex errore purè materiali, & ob ſimplicitatem, aut defectum ſufficientis inſtructionis, ut plurimùm invincibili, abutatur in ſenſu, ab Eccleſiæ mente & ſenſu SS. Patrum alieno. Communis namque, & omnibus nota eſt regula juris, quòd: *utile non vitiatur per inutile*, & ſupponendum eſt ipſos (utpote de ſe obſequentiſsimos *S. Matris Eccleſiæ filios*) privatum ſuum errorem corrigere per voluntatem, ſeu intentionem generalem conformandi ſe in omnibus, quæ ad Cultum B. Virginis pertinent, cum mente, & ſenſu reliquorum Fidelium, Deiparam iiſdem quibus ipſi titulis, in optimo, & ſano ſenſu colentium, & invocantium. Et verò ſi præcisè propter erroneum, aut etiam malitioſum paucorum hominum abuſum, prohibendum & abolendum eſſet, quidquid de ſe aptum eſt, fieri malè, vel benè; aut ſuppeditat materiam delinquendi per defectum, vel exceſſum; ubi tuta & integra ſubſiſteret Pietas, & Religio Chriſtiana? *Nulla enim unquam* (utì prudenter notavit ab ipſomet *Autore Anonymo* in ſua *Apologia* citatus *Petrus Caniſius* (*a*) *Religionis Profeſſio tam caſta extitit, in quam non irrepſerit erroris, & malitiæ labes. Verùm privatus quorumdam error, ſinè quo in tanta credentium turba non vivitur, piis rectè ſentientibus, non debet præjudicare; & propter abuſus neſcioquorum infirmorum, gravis culpa in Matrem, ejúſque filios ſapientes, invidiosè transferenda non eſt.* Et iterum (*b*) *Nihil tam per ſe bonum, támque præclarè, & ſanctè unquam inſtitutum, atque fundatum eſt, quod hominum temeritas ad pravos, & peſtilentes, dicam, & impios, nefariósque abuſus, non convertat, ac rapiat. eſt enim in proclivi, maximè mortalibus, ut præcipites ad extrema ferantur, medium autem ægrè attingant, nec auream illam ſervent mediocritatem.* Ex quibus locis clarè patet propter privatos nonnullorum rudium in colenda Deipara errores, & abuſus, non eſſe illicò improbanda, aut deteſtanda ea, quæ ad ipſius Cultum, & venerationem poſſunt, pro more *Eccleſiæ*, licitè, & laudabiliter adhiberi. *Fuerint proinde aliquando nonnulli* (pergit paulò antè memoratus *Caniſius*) qui *fictitia miracula Virgini Sacroſanctæ attribuerent;*

(a) *Tom. 2. de Verb. Dei corrupt. l. 5. c.* 15. (b) *ibid.*

buerent; nunquid idcircò veris, & probatis miraculis, quæ per Virginem ſæpe numerò DEUS effecit, ac etiamnum efficit, fides omninò deroganda eſt? Fuerint qui ſacris imaginibus Mariæ, plus honoris, quàm ipſi Virgini habuerint, & in illarum cultu modum exceſſerint, an propterea imagines è templis exterminandæ ſunt, & renovanda Hæreſis Feliciana? Quæ lex, quæ ratio aut honeſta conſuetudo poſtulat, ut quod bonis eſt commodum & ſalutare, id propter malos è medio tollatur, aut prohibeatur? ſicuti ſi rivuli à fontibus nimiùm receſſerunt, proximum eſt, ut repurgentur, non ut à fontibus præcidantur. Quod in ſanandis morbis, hoc etiam in caſtigandis hominum vitiis valet, ut non facilè ad præciſionem veniatur, ſed paulatim arte, & prudentiâ, curentur ægroti, nullâque fiat membrorum mutilatio, citra neceſſitatem. Habeat demum omnis erroris & ſuperſtitionis Autor & Propagator Satan, habeat, inquam, ſuos fanaticos diſcipulos, aut ſtultas mulierculas, quibus circa cultum Mariæ illudat, & atra pro candidis perſuadeat, ut illi Mariæ nomine, aut honore ad res vaniſſimas abutantur. Quid tum poſtea? Idem in Divino cultu perpetrant Magi Necromantici, & quotquot diabolicis præſtigiis vacant, qui certè res ſacras horrendè profanant, & quod ad DEI cultum pertinet, ad meras ſuperſtitiones & cultus Diabolicos impiiſſimè transferunt, ut ſuas tantùm expleant cupiditates. An idcircò à Sacris abſtinebimus, aut veteris Eccleſiæ inſtituta, vel interdicere, vel exterminari patiemur? Quidquid igitur in Deiparæ cultu peccatur, neque ad ejus dignitatem obſcurandam; neque ad piorum, qui Deiparam rectè colunt, inſtitutum convellendum; neque ad Eccleſiæ autoritatem labefactandam; detorquere fas eſt. Hæc Marianæ gloriæ Zelator *Petrus Caniſius.* Videat nunc Autor Anonymus, quâ prudentiâ, pietate, aut ratione in ſua paulò antè citata Apologia (*a*) ſcripſerit, præſtare, nullum omnino eſſe in *cordibus Fidelium, aut Eccleſiâ cultum Deiparæ, & Sanctorum,* quàm talem, qualem ipſe damnat & reprehendit. Imò judicat (*b*) ipſum *Gentium Doctorem Paulum* (*c*) (*qui etiam à licitis ſibi abſtinendum duxit, nè ſcandalizetur frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*) *ſi viveret, fuiſſe,* ſpectatis præſentibus corruptelis, omnem omninò cultum *Deiparæ, & Sanctorum,* nec non imaginum eorundem (nè tot millia Chriſtianorum ſcandalizarentur) ab *Eccleſia* proſcripturum. In quo diſcurſu non poſſum non valdè admirari, aut potiùs deteſtari heteroclitum & *Rectæ Rationi* parum conſentaneum Autoris Anonymi ingenium. Si enim, propter evitanda merè paſſiva aliquorum puſillorum ſcandala, præſtaret penitus aboleri, & nullum eſſe in *Eccleſia* cultum *Deiparæ, & Sanctorum*: ergò etiam præſtaret aboleri, & nullum eſſe uſum *Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ*; quia eo multi ſacri-

(a) *pag.* 7. (b) *pag.* 6. (c) 1. *Cor.* 8.

ſacrilegè abutuntur ad turpiſſimas, & prorſus deteſtabiles ſuperſtitiones: & indignè accedentes ad *Menſam Eucharisticam* juxta *Apoſtolum* (*a*) *judicium ſibi manducant, & bibunt, non dijudicantes Corpus Domini.* Præſtaret itèm, tolli Scripturam Sacram, quia ex illa, tanquam ex Armamentaria Officina, deſumunt Hæretici tela, quibus Fidem Catholicam oppugnant, ſuos verò errores defendunt, & propugnant. Præſtaret *Tertiò*, abrogari omnes Dominicas, & feſta DEO, aut Sanctis in ſpiritu & veritate adorandis, ab Eccleſia inſtituta; quia iis diebus, bona pars hominum, plus ventri, aut luxui, & profanæ licentiæ, quàm pietati, & religioni intendit, & indulget, & non ſervando nec ſanctificando illa, uti præceptum eſt, peccat mortaliter, non peccatura, ſi tale præceptum non fuiſſet, an ideò præceptum ipſum damnandum eſt? Præſtaret *Quartò*, diſſolvi & ad nihilum redigi omnes Religioſorum Ordinum familias, quia nonnulli Religioſi, Regulæ, quam profitentur, negligentes, aut immemores, vivunt vitam ſcandaloſam, multis ſæcularium pejorem, & irreligioſiorem. Præſtaret *Quintò*, de gradu ſuæ Dignitatis deiici, & in ordinem Profanorum Laicorum redigi, atque etiam reditibus ſuis privari *Univerſum Clerum Eccleſiæ*; quia nonnulli *Eccleſiaſticorum* malè vivendo, & reditus ſuorum *Beneficiorum* in uſus profanos, atquè etiam illicitos, expendendo grave ſcandalum præbent tum Hæreticis, tum Catholicis, qui exinde ſumunt occaſionem univerſum Clerum malignè calumniandi, & traducendi. Præſtaret *denique* (quod eſt longè abſurdiſſimum) ob immenſam peccantium turbam omnia præcepta DEI, & Eccleſiæ penitus aboleri, & homines quaſi equos, & mulos pabulantes, ſine camo & frœno relinqui. Taceo inſtantias Phyſicas huic eidem argumento, contra *Autorem Anonymum* ſervituras. Sequeretur enim, ut pauca de multis proferam, debere claudi officinas Pharmacoceuticas, & obſerari omnes cellas vinarias, eò quòd ex illis ſoleant ſæpe ſæpiùs comparari pharmaca valetudini plus obfutura, quàm profutura; ex his verò ſubminiſtrari vinum, *in quo eſt luxuria* (*b*) nequaquam ſanitati, aut ſobriæ hilaritati, ſed gulæ, & ebrietati ſerviturum. Deteſtabitur proculdubio, ſi ſapit has, & plures ſimiles ſequelas Autor Anonymus, ſed uti benè dixit D. Anaſtaſius Sinaita (*c*) *ſunt qui nihil penſi habent, etiamſi inconſequenter loquantur, aut in præcipitia ſe ingerant, dummodò adverſariis rectè ſentientibus, creent moleſtiam.* *Et S. Ephrem* (*d*) *loqvuntur quæ volunt, & non intelligunt, quæ conſequentium ſit intelligentia.* Adverto quidem Autorem Anonymum conari paſſim in ſua *Apologia* pleraſque ſuarum propoſitionum, quæ pias aures Fidelium offendere,

(a) 1. *Corint.* 11. (b) *ad Epheſ.* 5. (c) *l.* 1. *c.* 15. (d) *Serm. de Margarit.*

dere, & Fidei Inquiſitoribus malè de ipſo ſentiendi occaſionem præbere poſſent, in bono, & utcunque tolerabili ſenſu (quemadmodum olim ad declinanda diverſorum *Conciliorum* fulmina, circa ſuos errores faciebant *Semipelagiani*) interpretari. Sed agat quidquid velit, non facilè mihi perſuadebit, hanc ſuam declarationem aut potiùs retractationem, ex ſincero, & in nullo ſuſpecto erga Deiparam affectu procedere, cùm ex immediatè dictis, & toto *Monitorum* libello, ſatìs appareat, non fuiſſe ſuæ mentis errabundos in cultu *Beatiſſimæ Virginis* inſtruere, ſed & Cultũ hunc, & omnium aliorũ *Sanctorum* venerationem penitùs abolere. Si enim, (ut cœpto diſcurſui pluribus inſiſtam) nitebatur ſuis Monitis (prout in Apologia pro ſe facta prætendit) rudes inſtituere, quomodò juxta mentem *Eccleſiæ*, & *Conciliorum* colenda eſſet *Deipara*, (Docti namque ejus Monitis non indigebant) cur eis genuinum ſenſum titulorum *Advocatæ, Mediatricis, Corredemptricis, Matris Miſericordiæ*, & ſimilium, in quo eos, *SS Patres* à multis ſæculis uſurpaverunt, & defactò uſurpat *S. Mater Eccleſia*, non explicuit? cur modum, quo citra errorem inſtituendæ peregrinationes, colendæ *Thaumaturgæ B. Virginis* aut *Sanctorum* Statuæ, vel imagines; amanda poſt *DEUM DEI Mater*; amplectendæ ejuſdem *Sodalitates, ſeu Confraternitates* & ſimilia, quæ juxta ipſum rudibus ſunt (a) *Lapis offenſionis*, & *petra ſcandali* non edocuit? Cur inſtar imperitorum *Archi-atrorum*, qui ad curandum unum vel alterum digitum malè affectum totam manum, aut integrum pedem abſcindunt, propter pauculos quoſdam abuſus, totum Cultum *Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum* à corpore Eccleſiæ reſcindere conatus fuit? Erátne conveniens, aut operæ pretium, propterea quòd rudis popellus neſciret ſufficiénter diſtinguere inter *Mediatorem, aut Advocatum Primarium, & Secundarium*, illicò reprobare, ac ſupremo exterminio addicere omnes preces aut hymnos, in quibus conſentiente, & approbante *S. Romanâ Eccleſiâ, Deipara* invocatur ſub titulis *Advocatæ & Mediatricis*? An quia aliqui illam Corredemptricem vocant, ſano ſenſu, ſicut Crux Sancta, *ſpes unica* vocatur ab Eccleſia, & *quæ ſola* fuit *digna portare talentum mundi*, intelligendo inſtrumentaliter; Deipara quoquè, quæ novem menſibus Conſanguineum ſibi Chriſtum portavit, non poſſit dici Corredemptrix inſtrumentaliter, & quæ ſanguinem ſuum puriſſimum præbuit Spiritui Sancto aſſenſu ſuo, ut de illo conciperetur Redemptor noſter, ea ceu Sponſa Spiritûs Sancti, adeoque quoad hunc effectum inchoatæ Redemptionis noſtræ Corredemptrix Secundaria jure meritò diceretur. Adverte quid de illa S, Gregorius Magnus in Reg: *Dum* inquit, *Uni-*

(a) 1. *Petri.* 2.

Unigenitus DEI exiſtens ante ſecula ex Mariæ utero natus eſt Homo, inveſtigabili miraculo facta eſt & Ancilla hominis per Deitatem, & Mater Verbi per carnem. Et In moral: *Quia umbra non aliter exprimitur, niſi per lumen & corpus; Virtus Altiſſimi Mariam obumbrat; quia in ejus utero lux incorporea corpus ſumpſit, ex qua videlicet obumbratione, omne in ſe refrigerium mentis accepit.* An quia non ſolùm rudes, verùm etiam multi Viri docti errârunt circa *Verbi Divini Incarnationem, aut Unionem Hypoſtaticam*; abroganda idcircò fuiſſet Fides hujus myſterii, & prohibendus populus nè diceret: *DEUM eſſe factum Hominem*? ſanè exiſtimo *Autorem Anonymum*, niſi veritus eſſet cenſuram *Concilii Tridentini*, dicturum fuiſſe conformiter ad ſua principia: *Invocationem Deiparæ & Sanctorum eſſe Idolatriam.* vel *pugnare cum verbo DEI, adverſarique honori unius Mediatoris, DEI, & hominum JESU CHRISTI.* Nequè enim, quovis penè loco, ubi de titulis, & cultu, aut veneratione Chriſti agitur adeò ſollicitè inculcaret particulas ſeu terminos: *unus & ſolus*: niſi niteretur omnem omninò cultum Deiparæ & Sanctorum, ex cordibus Fidelium eradicare, & exterminare. Diſplicet autem mihi hoc loco non parum *Autor Anonymus* in eo, quòd in ſua Apologia (*a*) alleget, & ſatis ſcurriliter traducat, exemplum cujusdam ſtolidi (prout ibidem ipſum appellat) Catholici, quem de turpiſſimo errore circa cultum & Perſonam *Deiparæ*, vi conſequentiæ, olim oppreſſerit, & convicerit. Quaſi verò difficile fuerit, tanto Doctori, qualem ſe facit Autor Anonymus, illum rudem & ſtolidum Deiparæ Cultorem hunc locum Scripturæ: (*b*) *Nigra ſum ſed formoſa*, pro aſſerenda fuſcitate faciei *Deiparæ* allegantem ſyllogiſando, & argumentando, eò perducere, ut (niſì forum hujus Diſputationis adeò glorioſæ & ſubtilis maturè declinâſſet) fuiſſet coactus admittere *Deiparam* habuiſſe naſum inſtar turris, & caput inſtar montis; quia ſcriptum eſt in Canticis: (*c*) *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit Damaſcum*: *Caput tuum ut Carmelus.* Perinde quaſi Philoſophorum Principi Platoni magnum Sapientiæ, & eruditionis incrementum contulerit, quòd cuidam ſtupido & Minervæ pinguioris Adoleſcenti definienti hominem, quòd *ſit animal bipes implume*, apportato in medium Gallo gallinaceo, bipede, & implumi oſtenderit, ipſum circa definitionem hominis turpiſſimè errare & hallucinari. Hic nempe, teſte *Caniſio*, fuit quovis ſæculo mos omnium Hæreticorum, ut ex invincibilibus nonnullorum ſimplicium, ac rudium Catholicorum erroribus, ſcurrilem apud vulgus ſuæ Sectæ plauſum captarent, & fœdam aliquam maculam Catholicæ Eccleſiæ adſpergerent.

ANIMAD-

(a) *pag.* 52, & 53. (b) *Cant.* 1. (c) *c.* 7.

ANIMADVERSIO IX.

Autor Anonymus eſt Veterum Hæreticorum in perſequendo Deiparæ cultu æmulus & Sectarius.

ANnimadvertendum *Nonò*, *Autorem Anonymum* in ſuis *Monitis* nullum Cultum, aut titulum *à SS. Patribus*, & *Orthodoxis DEI Genitricis Clientibus*, imò ipſa *Eccleſia* eidem attribui ſolitum; neque aliis argumentis impugnare, quàm ejuſmodi titulos, & cultum ſuis temporibus impugnaverint *Lutherus*, *Calvinus*, *Melanchton*, & alii *Hæreſiarchæ*; idque ità conformiter eorum dictis, ac ſcriptis, ut citra ullam *Autoris Anonymi* injuriam, poſſet prudens *Lector*, cum compluribus non obſcuri nominis *Doctoribus ex Facultate Theologica Moguntina*, ſentire, & dicere: *ejus Monita ſub ſpecie corrigendi Cultores Deiparæ indiſcretos, fuiſſe reverà concinnata in gratiam reſuſcitandarum, & magìs firmandarum Hæreticarum calumniarum, quibus genuinus, & totius Eccleſiæ praxi receptus Deiparæ cultus, à Lutheri, & Calvini, cæterorúmque Hæreſiarcharum Sectatoribus, jam à Sæculo, & quod excedit, fuit traductus.* Tituli namque qui circa perſonam *Beatiſſimæ Virginis* memoratis *Hæreſiarchis* materiam livoris, & invidiæ ſubminiſtrârunt, ſunt: *Advocata, Mediatrix, Corredemptrix humanæ ſalutis, Mater Miſericordiæ, Refugium peccatorum, Vita, Dulcedo, Spes noſtra, & ſimiles*: quos idcircò in ore *Orthodoxorum* præfati *Hæreſiarchæ* ſummoperè deteſtantur; quia ſunt, inquiunt, quædam notæ *DEI*, & *Chriſti*, quaſi *Characteriſtæ*, nulli puræ Creaturæ, ſine ingenti ſacrilegio, communicabiles; inculcante & monente nos pluribus locis Scripturâ, *Unicum & Solum Advocatum, Mediatorem & Salvatorem hominum eſſe, Chriſtum JESUM.* Ideóque Catholicos, ſimiles titulos in *Deiparam* transferentes, tanquam *Idololatras*, novam ſibi *Deam*, abjecto *Chriſto*, confingentes, deplorant *Lutherus*, & *Melanthon*; *Calvinus* autem non tantùm eoſdem damnat, *immanis ſacrilegii*: verùm etiam atrocis *in DEI Matrem injuriæ*: *utpote ipſam ementitis* (prout ipſe ait) & *DEO per rapinam ſublatis laudibus, deformantes.* Quorum veſtigiis *Autorem Anonymum* ad unguem inſiſtere, patet ex illius *Monitis*, ſimilibus querelis, & figmentis ad nauſeam uſque refertis. Quis autem de *Fide* rectè ſentiens, non videt iniquiſſimam eſſe hanc *Sectariorum*, & *Autoris Anonymi* querelam? Quando enim *SS. Patres*, & *Eccleſiæ Catholicæ* Doctores nonnulla nomina, aut prædicata, quæ juxta *Scripturam* ſoli *DEO* in ſenſu abſoluto, & proprio, competunt,

Dei-

Deiparæ, aut Sanctis per Metonymiam accommodant, ſemper illa in ſenſu aliquo minùs proprio, & ad pietatem accommodo (qui cum Eccleſiæ Catholicæ communi judicio conſentiat) accipi poſtulant; probè gnari, *Creatori* ſimul, & *Creaturæ* multa in Scripturis adſcribi, quæ non ad æqualitatem, ſed *ſecundùm proportionem*, & diversâ quidem ſignificatione, jam de DEO, jam de Creatura prædicari debent. Ut autem ex ipſius *Spiritûs Sancti*, nobis per Scripturam loquentis autoritate appareat, multa prædicata, quæ ſoli *DEO*, & *Chriſto* propriè, & principaliter conveniunt, poſſe in ſenſu inferiore, & minùs principali, etiam puris hominibus (quidni & *Beatiſſimæ Virgini?*) propter quandam cum divinis perfectionibus ſimilitudinem & Analogiam accommodari; omiſſis compluribus, quæ ad hoc firmandum, & illuſtrandum, ex diverſis *Scripturæ* locis, ſuppetunt, teſtimoniis: Quid ità *DEO* proprium, & eſſentiale, quàm *Divinitas?* & tamen hanc fuiſſe impropriè, & per quandam Analogiam, cum diverſi generis hominibus communicatam, clarè patet ex compluribus ſacrorum *Vatum oraculis*. Sic namque *Regius Pſaltes* (a) Judices populi Iſraëlitici Deos compellavit. *DEUS*, inquit, *ſtetit in Synagoga Deorum*; id eſt (utì omnes interpretantur, & habet etiam Gloſſa) *in Cœtu, & Conventu Judicum*. Sic Prophetarum, & Legislatorum Anteſignanus *Moyſes* duodecim *Tribuum* Rectores, ac Duces Deorum titulo decoravit Exodi 22. *Diis*, ait (hoc eſt Rectoribus, ac Ducibus) *non detrahes*. Sic immediatè memoratus Pſaltes (b) *Apoſtolos*, propter doctrinæ Cœleſtis ſublimitatem, & miraculorum amplitudinem, vocavit Deos fortes terræ. *Principes*, inquit, *populorum congregati ſunt cum DEO Abraham: quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*. Quorum verborum myſticus ſenſus (juxta probatiſſimos quoſque Scripturæ interpretes) eſt: *Reges, & Principes cum ſuis populis congregabuntur* (ſolent enim Prophetæ quandoque loqui de futuris quaſi de præteritis) *in unam Eccleſiam, verum DEUM, quem coluit Abraham, & reliqui Patriarchæ adorantem. Idque prædicatione, & miraculis Apoſtolorum, divinam quandam autoritatem in terris præſeferentium*. Sic denique apud eundem *Vatem* (c) *Deorum* nomine compellantur univerſim omnes *Prophetæ*, & *Legis Doctores*, verbis illis: *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes*. Ex quo loco argumentum pro adſtruenda ſua Divinitate, contra Judæos eam negantes, ſibi formans æterna Patris Sapientia, Joan. 10. *Nónne*, inquit, *ſcriptum eſt in lege veſtra*, quia *ego dixi: Dii eſtis? Si ergò illos Deos dixit, ad quos ſermo DEI factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos*

 dici-

(a) *pſalm.* 81. (b) *pſal.* 46. (c) *pſal.* 81.

dicitis; quia blaſphemas; quia dixi Filius DEI ſum? quaſi diceret: *Si citra Blaſphemiam à Doctoribus Legis veſtræ, Dii appellari potuerunt Prophetæ, quibus ſermo, ſeu Verbum DEI, quod eſt ipſe DEUS, communicatum ſuit ſolummodò per auditum, ſeu revelationem; quantò potiori jure Deus appellari poſſum Ego, cujus Humanitati idem verbum communicatum eſt per veram, & realem unionem conſtituentem me ſub una Hypoſtaſi ſeu Perſonalitate, ſimul verum DEUM, & verum Hominem?* Quòd ſi ergo nequaquam improbante, imò approbante *Incarnatâ Sapientiâ*, potuit à *Vate Regio* prædicatum Divinitatis accommodari *Prophetis, & Legis Doctoribus*, ad quos ſermo DEI per ſolam inſpirationem, ſeu revelationem factus eſt; cur *nequeamus Deiparæ in ſenſu ſecundario, & minùs proprio accommodare aliquos titulos*, & prædicata *ſoli DEO primariò, & per ſe competentia*, in cujus utero ipſum *Verbum Divinum (a) caro factum eſt, & ex qua verus, ac conſubſtantialis DEI Filius natus eſt?* ſufficit namque (ut demus hujus doctrinæ rationem quaſi à priori) ad participandam apud homines aliqualem *Divinorum attributorum* ſeu perfectionum denominationem, eminens aliqua, & præcellens earundem imitatio, ad quam nos hortatur ipſe Salvator: (*b*) *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* & *Apoſtolus Paulus*: (*c*) *Eſtote imitatores DEI, ſicut filii chariſſimi.* Utique non ad æqualitatem, ſed ad ſimilitudinem. Quo itidem ſenſu ſupra memoratus Populi Iſraëlitici Dux, & Legislator Moyſes ipſo DEO eum inaugurante, conſtitutus eſt *Deus Pharaonis*, verbis illis: (*d*) *Conſtitui te Deum Pharaonis: quia ſcilicet* (verba ſunt *S. Ambroſii*) *ad DEI ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis ubertate formaverat*; ſed & ipſe *Gentilis Philoſophus Ariſtoteles* dixit, (*e*) *ex Hominibus* fieri Deos, ob virtutem Heroicam, & præcellentem. Non poſſunt proinde Idolomaniæ argui *D. Antoninus Florentinorum Archiepiſcopus* (*f*) & *B. Albertus Magnus*, quamvis *Beatiſſimam Virginem quaſi alteram Deam Dei-formitate actuum* compellaverint. Multò verò minùs nigro *Mariani Momi* calculo notari meruerunt *SS. Patres* & *Eccleſiæ Doctores*, eò quòd B. Virginem, ad aliqualem comunionem, nonnullorum prædicatorum ſoli *DEO*, aut *Chriſto* primariò, ac principaliter congruentium, admiſerint; utpote *DEO*, quoad perfectionum, & morum imitationem, ità conjunctam, & ſimilem, ut *D. Auguſtinus* (g) non dubitaverit eam *Formam DEI. D. Thomas* (*h*) *Imaginem infinitæ bonitatis DEI. Hugo Victorinus* (*i*) *Speciem ſpecialem DEI*, appellare. D. item *Andreas Cretenſis Præſul* (*k*) digitum in ipſam intendens: *Hæc*, inquit, *eſt à DEO ſculpta Statua;*

rectè

(a) *Joan.* 1. (b) *Matt.* 5. (c) *ad Epheſ.* 5. (d) *l. de Abel. c.* 21. (e) 7 *Ethic. c.* 1. (f) *Part.* 4 *tit.* 15. *c.* 34. *§.* 8. (g) *Serm.* 35. *de SS.* (h) *apud Theop. Raynaud.* (i) 39. *in Cant.* (k) *Orat.* 2. *de Dormit. Deip.*

rectè deſcripta primi Archetypi imago. Subtiliter quoque, & argutè notavit D. Ambroſius (*a*) Deiparam idcirco fuiſſe à Spiritu S. in Cantico Salomonis comparatam *Fonti ſignato,* ut intelligeremus, Filii DEI imaginem, in ipſa veluti fonte limpidiſſimo ad vivum fuiſſe expreſſam, neque ullo unquam perverſarum affectionum, quaſi ſpiritualium beſtiarum, juxta illum paſcentium, cœno turbatam, aut obliteratam. Sed neque jure reprehendi poſſunt complures, haud exiguæ autoritatis Doctores apud Alcazar (*b*) exiſtimantes, pleraque loca *Scripturæ,* quæ de Chriſto in ſenſu primario exarata ſunt, poſſe in ſenſu ſecundario, ab ipſo Spiritu S. intento, accommodari B. Virgini propter perfectionum, affectuum, & morum, cum Filio ſuo Chriſto, ſimilitudinem, quam ſolent genuini Filii, ut plurimùm à matribus participare, ſive, ut vulgus loquitur, matrizare. Et confirmant hoc ipſum nec pauca nec obſcura *SS. Patrum* teſtimonia. *Summam* namque *Divinorum Oraculorum* eam vocat *Andreas Cretenſis.* (*c*) *Vaticinium Prophetarum* indigitat *D. Hieronymus* (*d*) *longè antè Patribus cœlitùs repromiſſam, myſticis præfiguratam miraculis, oraculis annunciatam Propheticis*; prædicat *D. Bernardus.* (*e*) *Spiritum S de ea plurima per Prophetas prædixiſſe, per oracula intimâſſe, per figuras intonuiſſe, per præcedētia promiſiſſe, per ſubſequentia complevìſſe, docet D Ildephonſus.* (*f*) *Totum Canticorũ librum, non ſolùm per accommodationem, ſed etiam in ſenſu aliquo à Spiritu S. intento, Virginem* præcinere, ſentiunt *Rupertus* (g) *&* *Bernardus* (*h*) & omnes ferè *Patres,* qui illum interpretantur, & eum, *qui hoc non credit, infelicem eſſe dicit Aponius* (*i*) præſertim cùm ipſa *S. Orthodoxa Eccleſia,* tam in magno, quàm in parvo Officio, & in ipſo SS. Miſſæ ſacrificio, plurima ex Canticis applicet *Deiparæ*; imò & quæ in Sacro Codice in libro Sapiētiæ de Increata Sapientia dicuntur principaliter, eadem haud pauca de *B. Virgine* interpretatur ſecundariò, E. G. illud: *Ego in altiſſimis habito.* Item: *Ante ſecula creata ſum* præterea: *Nondum erant abyſſi*; & plura alia, adeoque de *B. Virgine* dici poſſe, quod de *Chriſto* ex Pſalmis (*k*) dixit Apoſtolus: (*l*) *In capite libri ſcriptum eſt de me,* exiſtimat *Franciſcus Suarez* (*m*) propter verba illa Geneſeos 2. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem; Ipſa conteret caput tuum*: quæ ad *Deiparam* ſpectare, communis eſt antiquorum *Patrum* Sententia. Adde his communem ſenſum totius Eccleſiæ, ùt paulò antè probatum eſt, quæ defactò multa ex iis, quæ de *æterna Sapientia,* ſeu Chriſto prædicantur in libro Proverbiorum (*n*) accommodat B. Virgini in præcipuis ejuſdem Feſtivitatibus, putà, *Conceptionis, Nativitatis, Viſitationis, Aſſumptionis,* & aliis necquicquam allatrantibus hanc pulchram Lu-

nam

(a) *ad c. 4. Cant.* (b) *c 4.* (c) *in c. 12. Apocalyp.* (d) *Serm. de Aſſumpt.* (e) *in Michæ. c. 6.* (f) *Serm. ſuper ſignum magnum.* (g) *Serm. de Aſſumpt.* (h) *in Cant. & l. 7. de Proceſſ. Spirit. S. c. 13.* (i) *in Cant.* (k) *in fine Cantic.* (l) *pſalm. 39. 1. ad Hebr. 10.* (m) *Præf. in tom. 2. 3 p.* (n) *c. 8.*

Digitized by Google

nam Heterodoxorum moloſſis. Favet denique huic Doctrinæ omnium apertiſſimè D. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus, hiſce verbis, Deiparam interpellans, (a) *Quidquid de Redemptore mundi poteſt cogitari, quidquid non ſolùm humana lingua, ſed etiam Angelorum rectè loqui poterit, ad laudem tuam optimè poteſt adaptari; & maximè, cùm quidquid in Te laudatur, Dilecto Filio tuo ſponte pro me Crucifixo deputatur.* Quæ S. *Doctoris* & multorum aliorum doctrina non ità accipienda eſt, quaſi exiſtimaverint omnia omnino prædicata, quæ *Chriſto* tanquam *Perſonæ Divinæ* conveniunt, poſſe ſimiliter affirmari de Deipara (certum namque eſt, eam non poſſe appellari *æternam, immenſam, infinitam, rerum omnium principium & finem* &c.) ſed locutos eſſe de titulis & prærogativis, quibus *Fides* & *Recta Ratio* non contradicit; & quas licèt ſolis *Perſonis Divinis & Chriſto* per eſſentiam & excellentiam competant, per quandam tamen Analogiam *Deiparæ* accommodari, & communicari non repugnat. Nemo præterea prudens (quantum equidem exiſtimo) mirabitur *SS. Patres & Eccleſiæ Doctores* fuiſſe adeò liberales, in communicandis cum Deipara aliquibus DEI aut Chriſti nominibus; ſi enim Chriſtus Mariæ Filius (libet ità argumentari à minori ad majus) præcipuos quoſque Electorum, ità ab æterno adamavit, ut eos non ſolùm multorum ſuorum nominum (prout patebit ex dicendis) verùm etiam Regni & præmiorum participes eſſe decreverit; quid ſentiendum erit de *Deipara, quam electam & evectam* (prout de ea canit S. Poloniæ Princeps *Caſimirus*) (b) *ſcimus ſuper omnia*? Quantùm porrò *Chriſtus* erga *Electos* ſuos in communicandis cum ipſis ſuis titulis honoribus & præmiis, liberalis exiſtat, nemini in Scriptura vel leviter verſato, poteſt non eſſe manifeſtum. Quem enim honoris gradum (prout notavit ſæpe citatus Petrus *Caniſius*) (c) *Chriſtus à DEO Patre exaltatus, magis ſibi proprium habet, quàm quòd in Patris ſui thronum aſcendit, & poteſtatem* (utì teſtatur *Regius Propheta*) (d) *ſuper gentes ac Regna accepit*? Et tamen ſupremus ac intimus arcanorum Cœleſtium *Cancellarius ac Secretarius Joannes* (e) fatetur ſe eum audiviſſe de quibuſdam *Electis* pro nominis ſui confeſſione ſtrenuè decertantibus, dictantem ſibi hæc verba: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno, ſicut & Ego vici & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Et iterum (f) *Qui vicerit & cuſtodierit opera mea uſque in finem, dabo illi poteſtatem ſuper gentes; & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.* Neque contentus ex fidelibus ſuis ſervis conſtituiſſe Principes ſupra omnem terram (g) & diſpoſuiſſe illis regnum, quale diſpoſuit ipſi Pater, ut edant & bibant ſuper menſam in regno ejus; (h) inſuper

(a) *Orat.* 19. (b) *in Hymno Omni die.* (c) *l.* 5. *de Deip. c.* 12 (d) *pſalm.* 2. (e) *Apocalyp.* 3. (f) *Apocalyp. c.* 2. (g) *pſalm.* 118. (h) *Luc.* 22.

per ſuæ Majeſtatis velut oblitus, qui Rex Regum exiſtit, ſervile miniſterium illis ipſis regnantibus ſe imponſurum promittit, ſanctè proteſtando apud D. Lucam (*a*) quòd præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Quòd ſi ergo unum rudem Piſcatorem *Petrum*; unum crudelem primitivæ *Eccleſiæ* perſecutorem *Paulum*; unum avarum Telonarium *Matthæum*; unum ambitioſæ mulierculæ filium *Jacobum*; & plures alios ſimiles; poſteaquam relictis retibus, & veteri converſatione, in intimam cum Chriſto familiaritatem penetrârunt, ſic honoravit Chriſtus; an eum minùs officioſum futurum exiſtimabimus erga ſuam dilectiſſimam Matrem: ex cujus Virgineo ſanguine caro factus; cujus mellifluo lacte paſtus, cujus labore, induſtriâ & ſolicitudine, per longiſſimum tempus alitus; cujus denique conſtanti, inter quaſuis adverſitates alloquio & præſentiâ uſque ad ultimum in cruce halitum refocillatus & exhilaratus? Sentiat aliter, ſiquidem ità libet, aliquis impius *Neſtorii* diſcipulus; certè non conſentiet ſincerus & devotus Cliens Marianus.

ANIMADVERSIO X.

Impugnatores Cultûs Deiparæ, poſſunt eſſe, & ſemper fuerunt in Eccleſia Catholica meritò de Hæreſi ſuſpecti.

ANimadvertendum *Decimò*. Eos, qui minùs honorificè de *SS. DEI Genitrice*, ſentirent, aut ejus Cultum longo uſu in Eccleſia receptum, imminutum irent, ſemper fuiſſe apud Orthodoxos Eccleſiæ Doctores, de Hæreſi ſuſpectos. Cùm enim Deipara caput veternoſi ſerpentis (cujus genimina ſunt omnes Hæreſiarchæ) glorioſè contriverit, & ſola cunctas hæreſes (prout de ea approbante & conſentiente *Concilio Epheſino* cum *SS. PP. Athanaſio* (*a*) *Amphilochio* (*b*) *Ruperto* (*c*) *Bernardo* (*d*) *Sophronio* (*e*) & aliis canit *Eccleſia*) in univerſo mundo, ſuis meritis ac precibus interemerit, manet altâ mente repoſitum hoc vulnus, & quotieſcunque cœleſtis Agricola (*f*) ſeminat bonum ſemen, Marianæ pietatis inimicus homo, dormientibus illis qui advigilare debuiſſent cuſtodibus, conatur *ſuperſeminare zizania*, non facilè *à tritico* diſcernenda, *quouſque veniat tempus meſſis, in quo zizania colligantur in faſciculos ad comburendum; triticum autem cœleſtis Paterfamilias congreget in horreum ſuum.* Quod aliis verbis explicans *Petrus Caniſius.* (g) *Satanæ*, inquit, *hoc munus ſemper proprium fuit, ut cùm dormiunt homines, Dominico*

(a) *c. 12.* (b) *Serm. de Deipara.* (c) *Orat. in Circumciſ.* (d) *l. 1. in Cant.* (e) *Serm. ſuper ſignum magnum.* (f) *Serm. de Aſſumpt.* (g) *Matth. 3.* (h) *Tom. 2. de verb. Dei Corrupt. l. 5. c. 15.*

nico tritico infelix lolium inſpergat, ac ſalutarem uſum bonarum rerum aut tollat, aut impediat; vel ſaltèm aliqua ex parte infrugiferum reddat. Ad quem finem partim Hæreticorum, partim fanaticorum, partim Pſeudo (addo Ego) *Frigido Catholicorum*) *operâ libenter uti ſolet; ſicuti in Mariano quoque cultu videre eſt. Sunt nimirum hæ calumniæ* (prout rectè argumentatur Theophilus Marianus) *evidens argumentum ejus inimicitiæ, quam DEUS poſuit inter Serpentem, & ſemen hujus Mulieris ſemper glorioſæ & benedictæ. Et qui ejuſdem cultûs ſunt inimici, poſſunt jure æſtimari progenies illius viperæ, quæ Mariæ calcaneum conata fuit admordere.* Verùm quia fortaſſe neque hoc præconium, quòd ſcillicet *Deipara* dignè prædicetur, *ſola interemiſſe cunctas hæreſes in univerſo mundo*, eidem Deiparæ favebit Autor Anonymus, & contra illud tanquam *Chriſto* (quem Autorem & Conſummatorem Fidei prædicat Apoſtolus) (*a*) & plurimis Sanctorum (qui contra emergentes in Eccleſia Hæreſes pro *Orthodoxa Fide* ſingulis ſæculis ſtrenuè decertàrunt) injurium proteſtabitur: facilè ei reſpondebo; idcircò hoc præconium *Matri DEI ab Eccleſia, Conciliis* & *PP.* attribui: tum quia generando eum, qui eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem* (*b*) omnes errorum tenebras fugavit, tum quia pro amore, quo *Eccleſiam Catholicam Filii* ſui ſponſam ſemper electam, *extra quam non eſt ſalus*, flagrantiſſimè proſequitur; hoc apud Filium ſuum, continuis ac ferventiſſimis precibus ſatagit, ut *vera Fides*, quæ eſt *Eccleſiæ* veluti *anima*, in eadem integra & illæſa perſeveret: ideoque quoties Hæreſis aliqua Orthodoxam Fidem peſſumdatura ab inferis emergit, ejus maximè precibus, & plus quàm maternâ ſolicitudine efficitur, ut procuratis egregiis, & ſtrenuis Orthodoxæ Fidei pugilibus, ac defenſoribus, neque homo (*c*) *neque portæ inferi prævaleant adverſus eam.* Tantaque eſt Deiparæ in hac parte cura & providentia, ut comparata cum eo, quod cæteri ad rectæ Fidei conſervationem contulerunt & conferunt; vix ullo loco ſint ducenda: ſicuti quamvìs temporibus Aſſueri, Mardochæus (*d*) & ejus Miniſtri, multùm ſuâ induſtriâ, ac labore contulerint ad opprimendos hoſtes Judæorum; præ eo tamen quod Regina *Eſther* præſtitit, reliqui parum, aut nihil præſtitiſſe, ſola verò *Eſther* conſilia *Amanis* diſturbâſſe, & univerſos *Judæorum* hoſtes in Regno *Aſſveri* evertiſſe, dici potuerit; atque idcircò per *Antonomaſiam ſola ſui temporis Judaicorum hoſtium interemptrix, meritò dici & celebrari potuiſſet.* Patuit autem præfata Deiparæ, pro Eccleſiæ Catholicæ incolumitate, ſolicitudo inſigniter in Concilio Epheſino: ubi implorato priùs ferventiſſimis precibus Sanctiſſimæ DEI Genitricis auxilio, ejus potiſſimùm ope, & patrocinio effectum

(a) *ad Hebræos.* 12. (b) *Ioan.* 1. (c) *Matth.* 16. (d) *Eſther.c.* 5. 6. 7. 8. 9.

ctum eſt, ut Neſtorius, & ejus nefaria hæreſis, tametſi maximorum Principum potentiâ niteretur, cedere debuerit veritati *Fidei Catholicæ* de omni errore triumphanti. Ex qua deinde cauſa *Patronæ ſuæ* & auxiliatrici *Mariæ* gratum Concilium, eidem hunc ipſum, de quo agimus, titulum: *Interemptricis cunctarum hæreſum*, appropriavit; & *S. Cyrillus Alexandrinus* in ſua, quam coram ejuſdem *Concilii PP.* habuit, oratione, eandem, *ſceptrum Orthodoxæ Fidei*, hoc eſt: *Reginam omnium rectè credentium* (ſumendo ſcilicet, per *Metonymiam* ſignum *Regis poteſtatis* pro ipſa poteſtate) appellavit. Patuit præterea eadem *Deiparæ* in Hæreſibus debellandis cura & providentia temporibus *Ferdinandi Regis Catholici*, quando (utì refert Hiſpanicæ Hiſtoriæ Scriptor *Ferdinandus Caſtellanus*)(*a*) potentiſſima *Albigenſium hæreſis* excito in auxilium ex *Africa* Memelino, Alanum Catholici exercitûs Ducem in fugam compulit, & totam rem Catholicam in extremum periculum abduxit. Tunc enim SS. hæc Virgo ſupplicibus fugientium vocibus invocata in tempore adfuit, & copioſas lapidum grandines in hoſtium perſequentium phalanges de cœlo ejaculata, hæreticos morte, ac vulneribus obtrivit. Patuit denique (ut multis aliàs ſæculis præteritas hæreticorum exercituum ſtrages, Deiparæ auxilio & Patrocinio conſecutas præteream) in famoſiſſima Ferdinandi II. Rom: Imperat: Victoria, An: Milleſimo Sexcenteſimo Decimo Nono præſentis ſæculi Menſe Novembri, contra ingentem rebellium Hæreticorum Exercitum, in Albo Monte prope mœnia Pragenſia, ejuſdem SS. Virginis honorem ſuum ab illo exercitu in ſua imagine graviter læſum ſeverè vindicantis, non ſinè manifeſto prodigio glorioſiſſimè obtenta. Quod porrò cauſam *Chriſti* (quem *Fidei Orthodoxæ Authorem*, & Conſummatorem indigitavit Apoſtolus) (*b*) attinet, non eſt quòd magnoperè ſolicitetur *Autor Anonymus*; ſicuti enim (quod eruditè advertit Petrus Caniſius) qui *Lunam* tanquam ſolam aëris nocturni illuminatricem laudat, ac celebrat, nihil ſiderum Principi *Soli* derogat, à quo univerſa *Lunæ* illuminantis claritas promanat; ità qui *Mariam ſolam Hæreſum interemptricem* prædicat, nihil Chriſto præjudicat, qui eidem vires, & arma ad ſternendas, & interimendas Hæreſes pretio, & meritis ſui ſanguinis præſtat.

Quia verò *Autor Anonymus* in ſua Apologia graviter queritur contra eos, qui ſe de Hæreſi ſuſpectum faciunt; nequaquam vanam eſſe, aut temerariam hanc virorum doctiſſimorum ſuſpicionem, probare videtur tum incorruptum *S. Romanæ Inquiſitionis* Monita ab hoc Autore edita deteſtantis, & tanquam Fidelibus noxia ac pernicioſa ſeverè prohibentis judicium; tum ad vivum ex-
preſ-

(*a*) (*b*) *ad Hebræos* 12.

preſſus (prout ex præſenti Opuſculo patebit) in iiſdem Monitis veterum Hæreticorum Deiparæ & SanctorumCultum oppugnantiũ geni⁹. Et ſuppeditat etiam novum firmandæ huic ſuſpicioni argumentum libellus anno præterlapſo Gallico idiomate editus, in quo illius Autor itidem Anonymus, ab erroribus Janſeniſtarum, in quos incautus impegerat, reſipiſcens, occultas eorundem Hæreſes, & Practicam, quâ eas ſenſim ſinè ſenſu in alios transfundere, ac propagare nitantur, ex ipſiſmet Janſeniſtarum libris, & ſcriptis accuratè detegit, & exponit. Ex iis namque, quæ in eo libello continentur, ſat clarè colligere eſt, Autorem Monitorum, quem hôc loci oppugno, fuiſſe probabiliter aliquando peſtilentiſſima Janſenianæ Hæreſeos lue afflatum, & adhærentibus ei adhuc aliquibus hujuſce Contagionis reliquiis, ſanitati necdum ex integro (difficilis enim eſt, prout per complures annos experta fuit S. Sedes Apoſtolica, perfecta, & adæquata Janſenianæ Contagionis curatio) reſtitutum. Quod ut obiter ſaltèm Lectori benevolo pateat, obſervandum eſt, inter reliquas perverſas, & prorſus deteſtabiles *Janſeniſtarum* (prout in paulò antè memorato libello eruditè demonſtrat Autor à Jauſeniſmo reſipiſcens) doctrinas, eſſe etiam hanc: quòd apertè ſentiant cultum Deiparæ, & Sanctorum eſſe inventionem purè humanam & arbitrariam; ſed quia vulgò vehementer invaluit, non niſì ſenſim & ſinè ſtrepitu (nè fortè fiat tumultus in populo) abolendum.

Hoc ipſum autem ſentire, & ſuis Monitis, atque aliis libellis, tum *Latinis*, tum *Germanicis* Cultum Deiparæ, & Sanctorum, ubique vel directè, vel indirectè carpentibus, ac ſugillantibus machinari, nulli rectè ordinato, & ab omni paſſione defœcato intellectui manifeſtum eſſe non poteſt. Quod verò nefariam Janſeniſtarum in propagandis ſuis hæreſibus, & erroribus *Practicam* concernit, ſapienter & argutè notavit iteratò citatus Anti-Janſeniſta, eam quinque potiſſimùm *articulis*, quaſi totidem Regulis comprehendi. Quarum *Prima* eſt, *S. Scriptura* & *SS. Patrum* autoritate, vel truncatâ, vel in pravum ſenſum detortâ, errores ſuos colorare. *Secunda*: Editis in publicum pro ſui defenſione *Apologiis S. Romana Eccleſia*, eorum Hæreſes, & errores per *cenſuras Eccleſiaſticas* caſtigantis, autoritatem elevare, & eidem invidiam ad populũ conflare. *Tertia*: ſub prætextu largiſſimarum eleemoſynarum in ſublevandas tum privatas pauperum, tum publicas totius *Reipublicæ* neceſſitates comparandarum, *Fideles* ab ædificandis in honorem *Deiparæ*, aut *Sanctorum* templis, exſtruendis eorum aris, ornandis imaginibus, aut ſtatuis, & ſimilibus largæ Pietatis ſumptibus, arcere, & avertere. *Quarta*: animos Fidelium præſertim Sæcularium teneræ pietati non multùm addictorum, à ſuperfluis (prout ipſi interpretan-

tantur) Devotionibus prohibere, & Chriſti Salvatoris merita altiſſimè extollendo, eoſdem à quærendo ulteriori Deiparæ, aut Sanctorum Patrocinio, eximere & abſolvere. *Quinta* denique quàm fieri poteſt maximam ſibi & Sectæ ſuæ à doctrina, eruditione, & ſolida pietate famam, atque æſtimationem apud minùs cautum Populum comparare. Hanc porrò adeò peſtilentem Janſeniſtarum Practicam quisquis cum malè fallacibus *Autoris Anonymi Monitis* rectè contulerit, facilè animadvertet, ipſum iiſdem prorſus, quibus *Janſeniſtæ* mediis, ad eundem cum ipſis finem, & ſcopum, hoc eſt: everſionem Cultûs *Deiparæ & Sanctorum* collimare, & ſumptis ex eadem Hæreticæ pravitatis pharetra telis *ſagittare* (prout loquitur Vates Regius) *in obſcuro rectos corde.* Qualiter enim compilatis hinc inde *S Scripturæ* textib⁹, & truncatis aut depravatis *SS. Patrum* teſtimoniis, conetur ſua *Monita Orthodoxo Cultui Deiparæ & Sanctorū*, reddere cōformia ſatis oſtēdit complurib⁹ locis ſuæ multis fucis illitæ *Apologiæ*. Quàm operosè itē ſua Monita cōtra doctiſſimas, & ſolidè fundatas *S. Romanæ Inquiſitionis* & aliorū *Doctorum* cenſuras cum pertinacia propugnet, conſtat ex immediatè citata ejuſdem *Apologia*. Quòd etiam ſub prætextu Eleemoſynarum, & Boni publici *Fideles* ab erogandis in Cultum *Deiparæ* & *Sanctorum* ſumptibus arceat, docet *Monitum XVI.* & Apologia pagina 46. 47. & 48. Quomodo eoſdē *Fideles* à ſtudio, & ſolicitudine conquirendi ſibi, ut ſalutē conſequantur, patrocinium *Deiparæ & Sanctorum* dehortetur, & totam in meritis Chriſti fiduciam reponere jubeat, docent Monita *Octavum* & *Nonum*. Quòd denique ad morem *Janſeniſtarum*, aveat magni ad populum æſtimari, & ab eruditione, doctrina, & zelo veræ Religionis publicè prædicari, ac dicier: *Hic eſt*; colligitur itidem ex citatæ Apologiæ pagina 56. & 57. ubi gloriatur, ſe contra S. Romanæ Eccleſiæ hoſtes tum privatim, tum libris editis non ſegniter dimicâſſe, & texit catalogum non parvum Tractatuum in hunc finem Coloniæ editorum, & ibidem vænum proſtantium. Quaſi verò veritas, & integritas librorum antecedentium debeat eſſe argumentum irrefragabile veritatis, & probitatis omnium ſubſequentium, cùm longiſſimâ experientiâ conſtet multos, qui de Religione, & recta Fide priùs optimè ſenſerunt, poſtea fuiſſe in eadem materia mutatis undecunque circumſtantiis, turpiter hallucinatos. Exemplum in Origene, & heu! quàm funeſtum in Henrico VIII. qui poſtquam magno zelo adverſus Novatores ſcripſiſſet, demum adeò hallucinatus fuit, ut ſeſe pro Capite Eccleſiæ æſtimari voluerit. Et idcircò in *Indice librorum prohibitorum ex S. Concilii Tridentini* autoritate confecto, non rarò inter libros ejuſdē Autoris, alios approbari, alios reprobari videm⁹. Ex quib⁹ liquidò patet,

Digitized by Google

non immeritò inclytam Facultatem Theologicam Moguntinam, unanimi Doctorum omnium ſuffragio publicè pronunciâſſe: Monita Autoris Anonymi: *Officinam Janſeniſticam redolere*: *& guſtui Luthero-Calvinicorum vehementer arridere*. Patet itidem ex iis, quæ totâ hâc Animadverſione à me allata ſunt, potuiſſe me non ſinè rationabili fundamento Autorem Anonymum reddere Fidelibus ad cautelam de hæretica contagione ſuſpectum. Nihil tamen (quod jam ſæpiùs monui) abſolutè definio, quia in Judicium ejus, qui ſcrutatur corda, & renes, illiúſque Vicarium veritatis Scrutinium, me intromittere non præſumo.

ANIMADVERSIO XI.

Autor Anonymus malignè conatur reddere ſuſpectas Revelationes, & Hiſtorias moderno Cultui Deiparæ ſuffragantes.

ANimadvertendum *Undecimò*, *Autorem Anonymum*, ut promiſcuè omnes *Deiparæ Clientes*, ab ejuſdem Cultu, qui non eſt juxta ipſius genium, arceat; conari numero 2. ſuorum *Monitorum* reddere ſuſpectas omnes *Hiſtorias*, *Revelationes*, *Apparitiones*, & beneficiorum, aut miraculorum enarrationes, quorum allegatione ſolent præter alia argumenta, Viri docti, & pii quaſdam ſpeciales *Deiparæ* prærogativas, & privilegia confirmare, & ea nobis tanquam humanâ fide prudenter credibilia proponere. Quem ipſius conatum, tanquam Luthero, Calvino, & aliis Hæreſiarchis familiariſſimum, non poſſum non magnoperè improbare, & deteſtari. Quamvis enim non poſſimus negare in compluribus de B. Virgine hiſtoriis minùs exquiſito nonnullorum Autorum calamo conſcriptis, reperiri aliqua, quæ liturâ indigeant, non debent tamen idcircò in cenſum hiſtoriuncularum redigi omnia, quæ de *Deiparæ Apparitionibus*, *Revelationibus*, *beneficiis*, *& prærogativis* à Scriptoribus utriuſque ſexûs, ſanctitate, eruditione, & revelatione celebratiſſimis, memoriæ commendata ſunt. Quis enim niſi temerarius aut Semi-Heterodoxus auſit inter aniles fabellas, aut inanes hiſtoriolas numerare Revelationes D. Brigittæ, quas *Cardinalis à Turre cremata* refert integri *Concilii* encomio fuiſſe magnoperè laudatas & commendatas? Quis *Inſinuationes Divinæ pietatis* cœlitus factas *D. Gertrudi*, de quibus præter alios duo piiſſimi, & in diſcernendis ſpiritibus Sapientiſſimi Viri, *Ludovicus Bloſius Abbas* Lœtienſis (in Monili ſpirituali) & *Joannes Landſpergius Carthuſia* Colonienſis incola, diſcer-

diſertè pronunciant: *neminem qui divino afflatus ſit Spiritû, poſſe eas impugnare vel calumniari?* Quis *Illuſtrationes SS Virginum. Mechtildis, Catharinæ Senenſis*, & aliorum Sanctorum ac Sanctarum à familiari cum cœlitibus conſuetudine celebrium hactenus in Eccleſia magni habitas, & inter Fideles paſſim receptas? Et tamen has in cenſu memoratarum fabellarum, & hiſtoriuncularum numerari ab Autore Anonymo, arguitur manifeſtè ex eo, quòd in citatis Revelationibus multa recenſentur in favorem Deiparæ, quæ citatus Autor in ſuis Monitis ſummoperè reprobat, ac deteſtatur. Sequitur inſuper ex hac tam impia, & arroganti ipſius cenſura, nullam fidem mereri Hiſtorias Eccleſiaſticas, à Viris doctiſſimis, & fide digniſſimis conſcriptas, in quibus afferuntur exempla complurium peccatorum, qui neglectâ pœnitentiâ, vitâ functi, & ſevero Divinæ juſtitiæ Tribunali præſentati, ope, & intereeſſione Deiparæ ad vitam & ſpatium agendæ pœnitentiæ denuò reverſi ſunt. Vanæ præterea, & illuſoriæ juxta illius opinionem, erunt omnes Apparitiones factæ *SS. Dominico, Franciſco, Bernardo, Ildephonſo*, & aliis, quos *Deipara* iiſdem viſibiliter apparens, vel docuit, vel gratos ſibi eſſe oſtendit titulos: *Refugii Peccatorum, Matris Miſericordiæ, Reginæ. Advocatæ*, & alios ſimiles Autori Anonymo vehementiſſimè diſplicentes. Fabulam etiam fortaſſe appellabit concentum Angelorum temporibus D. Gregorii Magni (ut Autor eſt (*a*) Sigonius) Deiparæ in ſublimi aëris, *Regina Cœli lætare*, feſtivè accinentium; nam ipſe nullum, ſive in cœlo, ſive in terra Deiparæ imperium agnoſcit, & idcircò titulum Reginæ à ſua manca & malè truncata (quam ad calcem ſuorum Monitorum appoſuit) ipſam invocandi formula penitus excluſit. Somnia denique & vana commenta (ſi Sententiæ Autoris Anonymi ſtandum eſſet) exiſtimari deberent omnia miracula, & beneficia per *Deiparam*, titulis paulò antè memoratis ſuppliciter invocatam, divinitùs obtenta. Neque ab his inconvenientiis ſufficienter ſe purgat Autor Anonymus, verbis, dilectiſſimi Chriſti Diſcipuli, & adoptivi Filii *Mariæ D. Joannis*, ſollicitè nos monentis: *Filioli nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Hiſce namque Scripturæ verbis (prout patet ex immediatè dictis) non tam videtur ſua *Monita* defendere, quàm tacitè velle perſtringere *Revelationes SS. Brigittæ, Gertrudis, Mechtildis, Catharinæ Senenſis*, & aliarum Sanctarum mulierum *Deiparæ* cultui magnoperè patrocinantes; quaſi ſcilicet in his propter ſexûs, aut judicii fœminei imbecillitatem (quæ ex copioſiori cerebri humiditate proficiſcitur, & valdè vivacibus mulierum ſomniis, atque imaginationibus plurimùm deſervit) ſuſpecta eſſe debeant omnia,

(a) *L. de rebus Ital.*

quæ de familiaribus earundem cum Chriſto, Deipara & Cœlitibus colloquiis, in favorem Deiparæ vulgò circumferuntur. Sed hæc eſt vetus calumnia eorum, qui fœmineum ſexum ſuperbo ſupercilio aſpernantes, generatim ſuſpectum habent, quidquid fœminæ boni egerint, aut dixerint; quaſi verò in multis de hoc ſexu non fuerint, ſæpe numerò animi in fide conſtantiores, & ad Virtutem aptiores, quàm in Viris; aut his ſolis ità alligata ſit Sapientia, & divinæ revelationes, ut non potuerint etiam communicari cum fœminis? obnitente manifeſtè pluribus in locis S. Scripturâ, quæ multas illarum inter Prophetiſſas numerat, & à Sapientia, Prudentia & Virtute magnoperè commendat. Sed cum Anonymo provocare oportet ad Scripturam, qui more heterodoxorum, neque traditionibus ſacris, neq; SS. Patribus, nec Eccleſiaſticis Hiſtoricis plùs, quàm proprio Judicio deferre velle videtur, potéſtne inficiari revelationem glorioſæ Chriſti Reſurrectionis Deum voluiſſe per fœminas publicare, & ipſi Petro Vicario Chriſti indicari verbis illis: *Dicite Diſcipulis & Petro*, dictis, ab Angelo Mulieribus, ad ſepulchrum Chriſti inviſentibus. Nec refert quòd *Revelationes ſanctarum Mulierum*, quas hìc defendimus, quendam delicatiorem, & ſuaviorem *Dei* & *Cœlitum* cum ipſis agendi, & loquendi modum præſeferant; ſupponendum namque eſt, Miſericordiam & Charitatem Divinam erga homines, tam eſſe benignam, támque profuſam, ut nulli non ſexui, ætati, aut conditioni condeſcendat, & ſe ſe accommodet, quē unumquoq; juxta quod capere, aut trahi poteſt, pro illius genio & ingenio, alliciat, & invitet; Atque ideò cum hominibus mollioris animi (qualis eſt devotus fœmineus ſexus) caſta quâdam amoris ſignificatione procedit teneriùs, præſertim poſtquam aſſumptâ humanitate ex Virgine Matre humaniſſimus Deus non ducit infra Majeſtatem ſuam eſſe delicias ſuas habere puriſſimas cum filiabus etiam humiliores, quàm cum filiis, nè ſi nonnihil duriùs cum illis ageret, præſertim initio, delicatæ illæ animæ cibo crudiori terrerentur magìs, quàm nutrirentur. Cum iis verò, qui ſunt affectûs, & animi durioris, quales ſunt Viri, agat aſperiùs, & ferè nonniſi in forma, & ſpecie ſolam gravitatem, ac majeſtatem ſpirante, & præſeferente. Nec tamen idcircò diffiteor pias aliquas Virgines, aut Mulieres Deo devotas, poſtquam ſibi ipſis relictæ ſunt, nec ſingulari Dei ope divinitùs adjutæ, fuiſſe vel amore gloriæ (qui fœminis potiſſimè inſidiatur) vel vanâ ſui ipſius complacentiâ inductas, ut crederent, vel fingerent ſibi cœlitus contingere, quod vel malus genius, vel omni malo genio pejor, ſui ipſius amor, eis ſuggerebat. Verùm quæcunque fuerunt, aut ſunt, hujuſmodi facilè in ſuis impoſturis deprehenſæ ſunt. Neque enim diu latere poteſt fictio, præſertim fœmi-

fœminea, & longâ experientiâ compertum eſt, ubicunque humilitatis fundamentum deſuerit, totum quidquid ſuperſtruitur cum magnâ ſui ignominiâ corruere, & in fumum aut inanem pulverem abire. Quia ergò hæc profundiſſimæ humilitatis virtus in *SS. Gertrude, Brigitta, Mechtilde, Catharina Senenſi* & iis ſimilibus (prout patet ex earum vita, & actis *à Ludovico Bloſio* & aliis fide digniſſimis Autoribus conſcriptis) ſingulariter eminuit, non eſt cur *Autor Anonymus* earum Revelationibus fidem deroget, quin imò habet firmiſſimum argumentum, ſuam arrogantiam, & nimiæ ſapientiæ, in deligendis Deiparæ competentibus titulis præſumptionē condemnandi, atq; uſurpandi illud Chriſti (*a*) Matth. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & Prudentibus, & revelâſti ea parvulis.* Et quamvis ſe eximium Theologiæ Doctorem in ſua *Apologia*, non obſcurè jactitet, poteſt nihil obſtante hoc ſpecioso titulo confiteri cum *D. Paulo*:(*b*) *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; ut non glorietur in conſpectu ejus omnis caro. Et cum Simplicibus converſatio ejus.* Ut autem *Autori Anonymo* ad argumentum ſuæ incredulitatis ex verbis D. Joannis: *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt*, deſumptum, directè reſpondeam: Quæro ex ipſo, quis ſit ille *Lydius lapis*, ad quem probari debet Spiritus rectè, ac diſcretè invocantium Deiparam? an ſola Scriptura? ſed cùm Chriſtus (juxta obſervationem Autoris Anonymi in ſua Apologia) nullibi Deiparam (quantum ex quatuor *Evangeliis* conſtat) compellaverit *Matrem*, ſed tantùm *Mulierem*, ſequetur prout ſuprà notavi, inſiſtendo principiis *Autoris Anonymi*, ipſam non alio titulo, quàm *Mulieris* poſſe rectè ac diſcretè à nobis invocari & honorari. An Eccleſia? ſed & illa *Autori Anonymo* ſuſpecta eſt, cùm certum ſit, & ipſemet in ſua Apologia fateatur, *Eccleſiam* tribuere *Deiparæ* titulos, *Advocatæ, Mediatricis, Matris Miſericordiæ*, & ſimiles, qui juxta Monita *Autoris Anonymi* malè ſonant, & ſcandalum in populo concitare apta ſunt. An SS. Patres? ſed parva his fides apud *Autorem Anonymum*, ut qui eos in ſuis *Monitis* accuſet *Hyperbolarum* & *anomaliarum*, quæ ſimplices,(*c*) ac rudes in errorem inducere, aut devios ab Eccleſia ſcandalizare, & in errore confirmare, aut Eccleſiæ infamiam aſpergere poſſint. Reſtat igitur ut *Lydius lapis* diſcernendi inter Cultum *Deiparæ diſcretum, & indiſcretum*, ſit privatus *Autoris Anonymi* & nonnullorum, ad Mariani ſplendoris radios lippientium *Momorum*, & *Zoilorum* ſpiritus; ſed an ater, an albus? aliorum eſto judicium. Mihi ſatis ſupérque conſtat, & in præſenti ſufficit, unam ex notis *Hæreſiarcharum*

(a) *Matth.* 11. 25. (b) 1. *Cor.* 1. (c) *Monit.* n. 10.

rum quaſi characteriſticis eſſe hanc : *Spiritum ſive inſtinctum ſuum privatum communi ſenſui Eccleſiæ, & SS. Patrum anteponere, hiſtorias Eccleſiaſticas per ludibrium habere, & Theologorum Orthodoxorum doctrinas ſuperbo ſupercilio deſpicere.*

ANIMADVERSIO XII.

Præcipuum argumentum quo olim Hæreſiarchæ, & nunc Autor Anonymus nonnullos Deiparæ titulos impugnat.

ANimadvertendum *Duodecimò.* Præcipuum Veterum *Hæreſiarcharum*, quos in ſuis *Monitis* ex parte æmulatur *Autor Anonymus*, fundamentum abrogandi *Deiparæ* titulos: *Advocatæ, Mediatricis, Matris Miſericordiæ, Spei Chriſtianorum, Cooperatricis noſtræ ſalutis,* & ſimiles, quibus in ea colenda, & invocanda, à multis ſæculis uſi fuerunt SS. Patres, & tota propè *Eccleſia Catholica*, deſumi ex *Scriptura*, quæ ſimiles titulos ità ſoli *Deo*, & *Chriſto* videtur attribuere, ut citra grande ſacrilegium, & manifeſtam *Spiritui Sancto* contradictionem, puræ Creaturæ, qualis eſt *Deipara*, accommodari non poſſint. Neque enim fruſtrà (inquiunt *Lutherus & Calvinus*) in ejuſmodi titulis, ubi de *Deo*, aut *Chriſto*, agitur, utitur Spiritus Sanctus terminis: *unus, ſolus, nemo, alius,* & ſimilibus, ſed ut oſtendat, ipſos in puram Creaturam, quæcunque illa ſit, transferri nec poſſe, nec debere. Verùm, quàm fragile & fallax ſit hoc *Antidico-Marianitarum* fundamentum, facile eſt coniicere ex multis abſurdis, & paradoxis, quæ inde per bonam illationem conſequuntur. Si enim idcircò quia ſcriptum eſt (*a*) *Soli Deo honor, & gloria*, nihil honoris, aut gloriæ Deiparæ vel Sanctis debet attribui; Ergo non admirando, ſed improbando cecinit Vates Regius. (*b*) *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Et iterum: (*c*) *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronaſti eum*, Ergò non potuit Chriſtus citra gravem Divinitatis injuriam ſervos & amicos ſuos ſic honorare, & glorificare ut (*d*) *conſtitueret eos Principes ſuper omnem terram, &* (*e*) *diſponeret illis regnum, quale diſpoſuit illi Pater*; & (*f*) daret eis ſedere ſecum in throno, ſicuti & ipſe ſedet, cum Patre ſuo in Regno ejus, & unum cum ipſo ſint, & illud: *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt.* Ergò deterioris Statûs, & Conditionis erit Mater Dei, & familiares amici, ac domeſtici ejus, quàm genitrices, aut amici terrenorum Principum, quos hoc titulo ſpecialiter honorandos eſſe, & Recta ratio

(a) 1. Timoth. 1. (b) pſalm. 138. (c) pſal. 8. (d) pſal. 118. (e) Luc. 22. (f) Apocalypſ. 3.

tio dictat, & ſuo exemplo demonſtrat Orbis Univerſus. Si, quia ſcriptum eſt (*a*) *Unus Mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Jeſus*: propter terminum *unus* tanquam malignantem, & omnes alios excludentem, abrogandus eſt *Deiparæ* titulus *Mediatricis*: præpoſtera ergò, & execrabilis fuit Profeſſio Fidei, ſancti & inter Græcos Patres celeberrimi Doctoris *Baſilii* Magni, miſſa ad Julianum Apoſtatam, in qua præter Chriſtum alios etiam Mediatores admittit, ità inquiens: *Suſpicio etiam SS. Apoſtolos & Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum ſupplicent, quô per illorum Mediationem propitius ſit mihi Deus noſter benigniſſimus.* Caveat etiam *Autor Anonymus*, ſe aut *Monitorum* ſuorum *Approbatores*, vocare ſacro ſanctæ *Theologiæ Doctores ſeu Magiſtros*: quia ſcriptum eſt. (*b*) *Nè vocemini Magiſtri, quia Magiſter noſter unus eſt Chriſtus.* Caveat præterea ſe, aut quenquam alium appellare virum bonum aut juſtum: quia ſcriptum eſt: (*c*) *Nemo bonus, niſì unus DEUS*, & alibi: (*d*) *Tu ſolus juſtus.* Moneat etiam obſecro (ſiquidem ita zeloſus eſt) parentes prohibere parvulos ſuos, nè ſibi inclament, aut occinant: *Pater! Pater!* quia ſcriptum eſt: (*e*) *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: Unus eſt enim Pater veſter qui in Cœlis eſt.* Si quia ſcriptū eſt *de Chriſto*: (*f*) *Torcular calcavi ſolus.* Et iterum: (*g*) *Non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen datum eſt ſub Cœlo hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; nefas eſt *Deiparam* quo quo modo vocare *Salvatricem*, aut *Salutis noſtræ Cooperatricem*: ergò periculosè in fide dixit Apoſtolus: (*h*) *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea*: nam his verbis nudè, & ruditer acceptis, videtur aliquem defectum in lytro pretioſiſſimi ſanguinis *Chriſti* agnoſcere, & ſe ipſum partialem ſui Salvatorem, ac Redemptorem conſtituere. Si, quia ſcriptū eſt: (*i*) *Nolite fieri ſervi hominum.* Et iterum: (*k*) *liberi eſtis, quâ libertate Chriſtus vos liberavit*, indignum eſt filios Dei adoptivos, & ingenuos, profiteri ſe ſervum, aut mancipium *Deiparæ*; ergo perperam primos Chriſtianæ Fidei Sectatores hortatus fuit *Apoſtolorum* Princeps, & Primipilus *D. Petrus*: (*l*) *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis non tantùm bonis, & modeſtis, verùm etiam diſcolis*; neque debuiſſet *D. Paulus Orieſimum* Servum *Philemonis*, ab hero ſuo, cujus domum furto vexaverat profugum, verbis amantiſſimis (vocat enim illum (*m*) *ſuum in vinculis chariſſimum*) invitare ad revertendum, ſed potiùs quàm longiſſimè recedendum. Malè inſuper *ſummi Pontifices appellarent ſe Servos Servorum Dei*, cùm hoc ſit longè vilius, & abjectius, quàm profiteri ſe *Servum Genitricis Dei.* Haberent denique Clypeum, quo ſubditorum contra Do-

(a) 1. *Joann.* 2. (b) *Matt.* 23. (c) *Matt.* 10. (d) 2. *Machab.* 1. (e) *Matt.* 10. (f) *Iſaiæ* 63. (g) *Actor.* 4. (h) *ad Coloſſ.* 1. (i) 1. *Corinth.* 7. (k) *ad Galat.* 5. (l) 1. *Petr.* 2. (m) *Ad Philem.*

Dominos ſuos rebellionem protegerent quidam famoſi ſæculi noſtri Hæreſiarchæ, qui nonnullis ſcripturæ textibus abutendo conati ſunt imperito Ruſticorum vulgo perſuadere illicitam eſſe inter Chriſtianos, hominis ad hominem ſervitutem. Si quia ſcriptum eſt (*a*) *Filioli: Advocatum habemus apud Patrem Jeſum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,* ſuperfluum eſt *Deiparæ*, & Sanctorum pro peccatis, & neceſſitatibus noſtris, coram Conſiſtorio SS. Trinitatis advocantium Patrocinium : ergò non debuit *Spiritus S. à Chriſto* (*b*) appellari *Paracletus, ſeu Advocatus*; neque de eo ſcribere *D. Paulus* ad Romanos: (*c*) *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, agendo ſcilicet noſtrum Advocatum, & pia Fidelium deſideria* ac gemitus (prout apud Cornelium à lapide (*d*) interpretantur multi ſacræ Scripturæ explanatores) cum magna inſtantia, pondere & autoritate exponendo. Si quia ſcriptum eſt: (*e*) *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, dicere; quòd *Chriſtus* ſit ſeverus *Judex*, *Deipara* verò, *Mater Miſericordiæ*, eſt per craſſiſſimum errorem ſeparare in *Chriſto* attributum *Juſtitiæ*, ab attributo *Miſericordiæ*; ergò turpiter errare faciunt imperitum vulgus SS. *Patres*, & SS. *Theologiæ Magiſtri*, appropriando *in Divinis Perſonis Patri Omnipotentiam, Filio Sapientiam, Spiritui S. Bonitatem.*

Taceo multas alias longè abſurdiſsimas conſequentias, de quibus *Hæretici* dum verbis *Sacræ Scripturæ* ad literam, ſeu obvium tantummodò ſenſum ubique tenaciter inhærent, meritò arguuntur, & condemnantur. Ex quibus clarè patet, in ſacris literis, terminos ſeu particulas : *unus, ſolus, nemo*, & ſimiles, etſi ſint de ſe termini negativi, admittere nihilominus quandoque juxta ſubjectam materiam aliquas limitationes, ſeu reſtrictiones, & non tam ſupponere & ſignificare ſenſum negativum, quàm affirmativum. Quæ Regula, ſi bene attendatur facile erit in Propoſitionibus paulò antè citatis loca S. *Scripturæ* inter ſe, & Concilia, ac *Patres* cum Scriptura conciliare. Quando enim dixit *Paulus*: (*f*) *Soli Deo competere honorem, & gloriam* : ſermo illi fuit de honore ſeu cultu latriæ, de qua dictum eſt *Moyſi*: (*g*) *Ego gloriam meam alteri non dabo.* Quando Chriſtus in Scripturis appellatur: *Unus Mediator, Unus Magiſter, Unus Advocatus &c.* particula *Unus*, idem ſonat ac *primarius*, ſeu *principalis*. Quando eidem *Chriſto* ſoli attribuitur *tota generis humani Salvatio, & Redemptio*, intelligendum id eſt, de *Salvatione ſeu Redemptione Archetypa adæquata & condigna*; quæ ſcilicet facta eſt per exhibitionem ſatisfactionis æqualis & juſti pretii, quod procul dubio ſolus *Chriſtus* in ſanguine ſuo exhibuit, juxta illud Apoſtoli

Pauli

(a) *1. Joann. 2.* (b) *Joann. 14. & 15* (c) *c. 8.* (d) *in Epiſt. ad Rom.* (e) *pſalm. 73.* (f) *1. Timoth. 1.* (g) *Exod. 4.*

Pauli. (*a*) *Empti eſtis pretio magno.* Quod pretium explicans *D. Petrus* (*b*) *Non corruptibilibus auro,* vel *argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti. Contractus* autem *Emptionis* æqualitatem pretii cum eo, quod emitur ſecum eſſentialiter importat. Quando modò citatus Gentium Doctor Paulus (*c*) hortatus fuit Corinthios non ſervire hominibus, non fuit illi mens loqui de quibuſvis hominibus promiſcuè ſumptis, ſed ſolis infidelibus, quibus ſervi fideles ſinè Contumelia ſui Creatoris, & Redemptoris, aut gravi ſui ipſorum, vel aliorum ſcandalo, miniſtrare non poſſent, quemadmodum ob ſimilem cauſam *jura Canonica* defactò vetant *Chriſtianos* ſervire, juratis *Chriſti* hoſtibus *Judæis.* Quando *Spiritus S.* in diverſis locis *Scripturæ uni, & Soli Deo attribuit Sapientiam, Bonitatem, & Juſtitiam, ſermo eſt de Sapientia Bonitate, & Juſtitia, eſſentiali, & imparticipata*; non autem de *accidentali, & participata,* quæ per quoſdam quaſi rivulos ex infinito fonte *Divinæ Sapientiæ, Bonitatis,* & *Juſtitiæ* in Creaturas rationales derivatur. Alioqui fruſtrà ſuos ſequaces hortatas fuiſſet ipſamet Increata Sapientia, Bonitas & Juſtitia Chriſtus, apud D. Matthæum: (*d*) Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt. *ut ſuprà.* Quando idem *Chriſtus* (*e*) vetat *Scribas,* & *Phariſæos* vocare ſe *Rabbi,* eò quod ipſe unus ſit verus omnium illorum Doctor, & Magiſter, non improbat (prout erroneè docebant nonnulli Hæretici) *Gradus literarios Doctoratûs, aut Magiſterii* (hos enim tanquam publica Virtutis & indeptæ Sapientiæ teſtimonia ſuſpicit, & veneratur S. Concilium Tridentinum Seſſ: 24. c. 12. diſtrictè præcipiens, ut *in Provinciis, ubi id commodè fieri poteſt, Dignitates omnes Eccleſiaſticæ, & ſaltèm Dimidia pars Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus conferantur tantùm Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel jure Canonico*) ſed ſolùm reprehendit ambitioſam ſimilium Titulorum, cum reliquorum deſpicientia, jactantiam, ponendo ob oculos ſuam, qui ſummus & ſupremus Omnium *Doctor & Magiſter* eſt, humilitatem, & promptam quibuſlibet miniſtrandi, eóſque in ſuum Conſortium admittendi voluntatem.

Quando denique, ut cætera taceam, toties memoratus *Chriſtus* (*f*) vetuit vocare *nobis Patrem ſuper terram.* ſenſus (juxta loci hujus *interpretes*) fuit, ſolum Deum eſſe præcipuum vitæ noſtræ autorem, & huic ſoli primariò convenire titulum *veri & perfecti Patris*; utpote qui ſolus animam, & vitam ſingulis aſpiraverit, eóſque conſervet, foveat, protegat, & alimentet: cujus comparatione Patres terreni ſunt, ut ait *D. Hieronymus,* ſolùm *abuſivè, & umbraticè Patres. Non enim,* inquit *D. Chryſoſtomus, initium vitæ habemus ex Parentibus, ſed*

(a) *I. Cor.* 6. (b) *I. Petr.* 1. (c) *I. Cor.* 7. (d) *c.* 23. (e) *Matt.* 23. (f) *ibid.*

tranſitum vita per eos accepimus. Quæ omnia cum finè me Autor Anonymus probè perſpexerit, non poſſum non vehementer mirari ipſum livore, & ſiniſtro erga ferventiores *Deiparæ Cultores* affectu, ità fuiſſe præoccupatum, ut quotieſcunque vel minima occaſio ei præbetur, per ſiniſtram verborum interpretationem titulos *Deiparæ* convellendi eam cum veteribus *Hæreſiarcharum* patronis avidè arripiat, & exinde ſtudioſiores, & ſolicitiores ejuſdem Cultores tanquam indiſcretos cavilletur. Adeò nempe verum eſt, quod ſcripſit Comicus: *Quidquid pulchrum eſt, perſequitur Momus.* Auget verò hanc meam admirationem non modicùm, quod memoratus *Autor* ſua *Monita (a)* cultui *Deiparæ* & *Sanctorum* tam præjudicioſa, & pernicioſa claudat, & quaſi ſigillet, teſtimonio D. Pauli (*b*) ità pronunciando; *Beatus, qui cum Apoſtolo, ſe nihil judicat ſcire, quàm Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum*: volens niſi fallor, ſignificare, memoratum Apoſtolum nihil ſciviſſe, aut floccipendiſſe, ea, quæ de cultu Deiparæ, & Sanctorum; de quærendo & procurando eorum patrocinio: de magnificis titulis, Advocatæ, Mediatricis, Matris miſericordiæ, Cooperatricis noſtræ ſalutis, & ſimilibus, *Dei Genitrici* accommodandis; de Peregrinationibus ad Thaumaturgas illius Statuas; de ornatu Imaginum, Altarium & Templorum; de ſtudio amplificandi, & illuſtrandi ejuſdem Sanctiſſimæ Virginis excellentias, & prærogativas, & id genus aliis Marianæ Pietatis exercitiis, quæ in *Eccleſia Catholica* & inter ſpeciales ſæpe memoratæ *Deiparæ* Cultores, vulgò circumferuntur, ſed omne ſuum ſtudium impendiſſe in unicè colendo, invocando, & condignis laudibus celebrando Chriſto, & *Sanctiſſima ejus Paſſione* ac morte: tanquam unicè unico totius noſtræ ſpei fundamento & fulcimento. Quà Doctrinâ nihil poterat ad guſtum Lutheri, Calvini & aliorum Hæreſiarcharum accidere gratiùs vel jucundiùs.

ANIMADVERSIO XIII.

Tituli, quos Eccleſia tribuit Deiparæ, non ſunt ità Deo proprii, ut non fuerint à Scriptura, & SS. Patribus etiam variis Hominibus attributi.

ANimadvertendum 13. Nullum eſſe Titulorum, ex iis, quos citra graviſſimam *Dei* & *Chriſti* injuriam *B. Virgini* attribui prohibet *Autor Anonymus*, quem *Scriptura Sacra*, & SS. Patres, in ſenſu utique

ſano,

Digitized by Google

ſano, & optimo, non attribuerint etiam nonnullis hominibus ſanctis, & juſtis, cum *Deipara*, quoad dignitatem, Sanctitatem, & merita nullatenus comparandis. Primò namque ſpectando Titulum Mediatoris (hoc eſt perſonæ ſua merita, aut preces apud Deum offenſum pro hominibus, qui offenderunt, interponentis) hunc ſibi citra arrogantiam vendicavit Sanctiſſimus Iſraëlitici populi Dux, & Legislator Moyſes, dum ità populum alloquitur. (*a*) *Ego Sequeſter, & medius fui, inter Dominum, & vos, in tempore illo.* Et *D. Paulus* eodem titulo ipſum honorat ſcribens ad Galatas (*b*) *Lex*, inquit, *data eſt per Angelos in manu Mediatoris*, hoc eſt (ut interpretantur *D. Cyrillus* (*c*) *Tertullianus* (*d*) & alii) *Moyſis. Divum* itèm *Joannem Baptiſtam Mediatorem utriuſque Teſtamenti vocat* S. *Damaſcenus* (*e*) ſed & *Prophetas* : *ſalutis Mediatores* indigitat S. *Joannes Chryſoſtomus* (*f*) *Apoſtolos quoque & Martyres Mediatorum nomine inſigniunt* SS. *Baſilius* (*g*) *Cyrillus* (*h*) *Bernardus* (*i*) & alii; *Sacerdotes* pariter *Mediatores inter Deum & populum* nuncupant *SS. Hieronymus* (*k*) *Gregorius magnus* (*l*) *Chryſoſtomus* (*m*) & *Gregorius Nazianzenus*. Quoslibet denique juſtos Mediatorum munere pro humano genere perfungi, & Urbium in quibus degunt, Mediatores apud Deum exiſtere aſſeruit S. Ambroſius. (*n*) Ut quid ergò contra *Orthodoxos Deiparæ Cultores ringitur Marianus Momus*, quod ſpecioſo *Mediatricis* titulo cum plurimis *SS. Patrum Deiparam* honorant, & interpellant?

Quod ſecundo loco titulum Advocati attinet, etiam hunc citra Chriſti (qui eſt primarius, & principalis generis humani, apud Cœleſtem Patrem Advocatus) injuriam ſibi ante multa ſæcula vendicavit Vates Jeremias Deum ità alloquens. (*o*) *Recordare, quod ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis.* Et in Canonica Jobi Patientis hiſtoria (*p*) legimus *Deum* conſtituiſſe *Jobum* coram ſe *Advocatum* pro tribus ejus amicis, *Eliphaz Themanitæ, Baldat Subitæ*, & *Sophat Namathitæ*; qui Deum multis imperitis *ad Jobum* ſermonibus graviter offenderant, cum quibus ità loquentem *Deum* inducit *Scriptura* : *Sumite vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes; & ite ad Servum meum Job, & offerte holocauſtum pro vobis; faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur Stultitia.* D. Itèm *Cyrillus* (*q*) docet *Davidem fuiſſe Advocatum populi in cauſa flagelli divinitus inferendi.* (*r*) D. quoque *Salvianus* (*ſ*) *Iuſtos vocat ſalubres & ſalutares humanæ ſalutis Procuratores.* Et quia jux-

(a) *Deuter.* 5. (b) *c.* 3. (c) *l.* 2. *de Adorat.* (d) *l.* 2. *in Marcio: c.* 16. (e) *Orat. de Transfigur.* (f) *Orat. de Concept. Ioan. Bapt.* (g) *in Concilio Niceno Act.* 2. (h) *l.* 12. *Theſau. c.* 10. (i) *Serm.* 1. *de SS. Petro & Paulo.* (k) *c.* 2. *in Malach.* (l) *Part.* 1. *Paſtoral. c.* 11. (m) *l.* 2. *de Sacerdot.* (n) *l.* 2. *de Cain & Abel.* (o) *c.* 18. (p) *c.* 42. (q) *l.* 3. *de Adorat..* (r) 2. *Reg.* 24. (s) *l. de Provid.*

Digitized by Google

juxta communem *D. Thomæ* (*a*) & SS. *Patrum ac Doctorum* Sententiam inter reliquos modos, quibus *Chriſtus* humanæ ſalutis negotium, tanquam *Humani generis Advocatus*, olim procuravit in terris, & etiamnum procurat in Cœlis, ſunt ejuſdem orationes; *ſemper vivens* (prout loquitur Apoſtolus, (*b*) *ad interpellandum pro nobis*: rectè exindè inſerunt *Theologi poſſe Sanctos & Electos* cum Chriſto in cœlis regnantes, vocari noſtros interceſſores, & Patronos ſive (quod eodem recidit) Advocatos. Quæ omnia ſi Autor Anonymus diligentiùs attendiſſet, facilè advertiſſet, ſe immeritò Orthodoxos *Mariæ Cultores*, à titulo *Advocatæ* in ſenſu abſoluto & proprio eidem tribuendo prohibuiſſe; neque hũc titulum à formula invocandi *Deiparam* quam ſuis Monitis ſubnexuit, excludere debuiſſe.

Quod tertio loco titulum *Salvatricis, aut Corredemptricis* concernit: pluſquam certum eſt, præter *Chriſtum* multos etiam hominum in gradu tamen longè inferiori, & ſub alia, ac multùm diſſimili ratione fuiſſe *Salvatoris hominum*, titulo decoratos. Patet, id namque primò in perſona *Ioſue*, cui hoc Officii & nominis tribuit ipſe *Spiritus* S. apud Eccleſiaſticum (*c*) *Fortis*, inquit, *in Bello Ieſus Nave, qui fuit maximus in ſalutem Electorum Dei.* Patet ſecundò ex tota Hiſtoria *Iudicum* (*d*) ubi Judices (maximè in textu *Hebræo* & *Græco*) paſſim dicuntur populum Dei ſalvare hoc eſt eorum ſalutem procurare. Patet *tertiò* ex Oraculo *Abdiæ Prophetæ* (*e*) *Aſcendent Salvatores in montem Sion judicare montem Eſau*, ubi interprete *D. Hieronymo* nomine *Salvatorum* intelligendos eſſe *Apoſtolos*, docet communis *Gloſſa*, & indicat reliquus ejuſdem Vaticinii contextus. Patet *quarto* ex *D. Paulo*, qui ſe non ſolùm *Romanorum* (*f*) verùm etiam *Corinthiorum* (g) Salvatorem non erubuit appellare: *Omnibus*, inquit, *omnia factus ſum, ut omnes* ſalvos facerem. Quin & quemlibet virum probum poſſe eſſe Salvatorem ſuæ Uxoris, & quamlibet probam Uxorem Salvatricem ſui viri, indicat idem *Apoſtolus* ſcribens ad *Corinthios* (*h*) his verbis: *Unde ſcis mulier, ſi virum ſalvum facies? Unde ſcis Vir, ſi Uxorem ſalvam facies?* Patet *quinto*: ex Canonica Apoſtoli D. Jacobi (*i*) ubi inter Salvatores adnumerat eos, qui peccatorum converſioni, & animarum à via ſalutis aberrantium reductioni ſedulò incumbunt. *Qui converti*, inquit, *fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam illius, ſed & omnes Verbi Dei præcones, ac ſanæ Fidei propagatores poſſe ſuorum Auditorum*, & Diſcipulorum *Salvatores* fieri, conteſtatur ſæpe citatus *Paulus* ſcribens ad *Timotheum Epiſcopum Epheſinum* (*k*) *Atten-*

(a) 2. 2. q. 83. a. 11. (b) ad *Hebr.* 7. (c) c. 46. (d) *Iudicum* c. 3. (e) *verſ. ult.* (f) *ad Rom.* 11. (g) 1. *Cor.* 9. (h) *Corint.* 7. (i) c. 5. (k) 1. *Tim.* 4.

Digitized by Google

tende, inquit, *Tibi & doctrina inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui Te audiunt.* Ad quem locum *D. Pauli*, præcipuè verò ad *Hiſtoriam Judicum* ſupra citatam reſpiciens *Rupertus (a)* Si illos, inquit, *Scriptura dixit Salvatores, per quos Deus temporaliter liberavit Iſraël, quanto magis rectè illi dicuntur Salvatores, quorum labor Salvatori noſtro Deo ad noſtram æternam ſalutem cooperatus eſt.* Sed neque immeritò *Sacerdotes*, qui animabus de Sathanæ tyrannide eripiendis *Chriſto* ſtrenuè cooperantur, *Coadjutores Salvatoris* appellaverunt. *D. Auguſtinus (b) Petrus Bleſenſis (c)* & alii; *Philotheus* quoque *Patriarcha Conſtantinopolitanus* ſub finem laudationis trium Patrum, *Baſilii, Nazianzeni, & Chryſoſtomi*, eoſdem Orbis Servatores ſecundùm Deum, & iterum: *Salvatores poſt primum Salvatorem, indigitavit.* Viderit proinde ex his *Autor Anonymus*, quo jure *Deiparam*, quæ (ut infrà oſtendetur) plus omnibus Apoſtolis & Doctoribus, ad ſalutem noſtram fuit cooperata, & etiamnum cooperatur, à participando titulo *Salvatricis, & Corredemptricis* (prout ſignificat *Chriſti Filii* ſui in procuranda humani generis ſalute, & Redemptione quoquo modo *Coadjutricem*) excluſerit; & *Cultores* ejuſdem *Deiparæ* propter hunc honoris titulum, eidem tributum, de grandi in Chriſtum ſacrilegio condemnârit. Ut verò dicta in hac & proximè antecedenti *Animadverſione* ampliùs confirmem, pono *Autori Anonymo* ob oculos fragmen *Epiſtolæ D. Pauli Nolæ Epiſcopi (d)* ex quo poſſit, ſi velit, omnes ſcrupulos, qui ſibi circa Divinorum nominum & Epithetorum cum *Deipara* communicationem exorientes, facilè ſolvere, & à perſequendis idcirco *Mariæ* Clientibus deinceps abſtinere. Ità enim ſcribit: *Chriſtus honori ſuo implicans ſuos, prope omnia nobis nomina communicavit: Ut Virtus Dei dicitur; ita & nobis Virtus eſſe dignatur. Deus enim noſtrum refugium & Virtus Hæreditas ut illi nos, ità & ille nobis.* Nam ſicut habes in *Moyſe*: *facta eſt Dei portio, populus ejus Jacob*; ita & in *Pſalmis* habes: *Portio mea Dominus.* Et ſicut ipſe de ſe ait: *Ego ſum Lux hujus mundi*; ità & ad ſuos dixit; *Vos eſtis Lux hujus mundi: Ego ſum*, inquit, *panis vivus; & nos omnes juxta Apoſtolum unus panis ſumus.* Ille de ſe dicit: *Ego ſum vitis vera*; & tibi dicit: *Plantavi in te vitem fructuoſam, vitem veram; Mons Dei Chriſtus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo; & ſancti ejus montes Dei, montes uberes; de quibus nos illuminat mirabiliter à montibus æternis. Petra eſt Chriſtus; bibebant enim de Spiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Etiam Diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Sed quid miramur eum famulis ſuis indulſiſſe*

(a) c. 10. *in Oſeam.* (b) q. 18. *in Iudic.* (c) *Serm.* 47. (d) *Epiſt.* 4.

ſua nomina, cum quibus & partem ſuam participat, & regnum? Quibus poſtremis verbis confirmat argumentum à me Animadverſione in ſimili materia propoſitum, quod hìc repetere foret ſupervacaneum. Nolo enim, verba ſunt *Petri Caniſii* (*a*) contra *Sectarios*, ſui temporis titulos *Beatiſſimæ Dei Genitricis*, prout facit Autor Anonymus, temerè impugnantes) *hæc pluribus conſectari, quæ tantùm non cæcis apertè commonſtrant; nè in Scripturis quidem Divinis obſervari diſcrimen nominum, & epithetorum; ſed ea, quæ bonorum omnium Autori, & Fonti Deo, vel Chriſto, maximè competunt, hominibus quibuſdam ſæpè communicari. Atque hæc ſatis eſſe arbitror ad contumelioſas adverſariorum voces retundendas, dum ratione quorundam Canticorum* (ſermo eſt, de *Salve Regina*, *Ave Maris ſtella*, & ſimilibus hymnis) *inſolenter nobis inſultant, & ob titulos, tot ſæculis Mariæ omnium Sanctiſſimæ laudatiſſimæque Virgini tributos, totam damnant Eccleſiam, eique horrendam impietatis notam inurunt. Ità verò candidi homines de nudis tantùm vocculis, tanquam pro aris & focis litigant, ac pro ſuo arbitratu, ſæpe alienum falſúmque ſenſum affingunt, nihil ſoliciti, in quo ſenſu eadem verba, vel olim à veteribus accepta ſint, vel etiamnum ab Eccleſia piè & ſinè omni veræ Fidei præjudicio intelligantur.* Omnium verò pulcherrimè omnibus argumentis, quæ contra epitheta, & titulos Chriſti, Deiparæ nequaquam accommodandos Objiciunt Hæretici, occurrit idem *Caniſius* ſuprà c.12. his verbis: *Sunt quidam tituli, & Epitheta, quæ in ſacris literis jam Deo, jam Sanctis indifferenter tribuuntur, in quibus non ipſam nuncupationem, ſed ſignificationem ſpectare, & perpendere oporteat. Quemadmodum Patris, Magiſtri, Paſtoris, Fundamenti, Petræ, vocabula non obſcurè declarant. Unde licèt Chriſtus apertè pronunciet* (*b*) *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram: nihiloſecius Patrem Abraham dictum ſæpe legimus* (*c*) *& Paulus aliorum ſe Patrem faciat. Rurſus Magiſter noſter unus eſt Chriſtus, qui ſe ità vocari jubet diſertè.* (*d*) *neque peccant tamen qui cum eodem Paulo* (*e*) *& ſe, & alios Magiſtros, ſeu Doctores, ſi hunc dignitatis gradum aſſecuti ſint, fidenter appellant. Eſt Paſtor Chriſtus, qui & ſe ipſum bonum Paſtorem profitetur.* (*f*) *Sunt & alii Paſtores à Paulo dicti* (*g*) *ac boni etiam paſtores dicendi, ſi ad exemplum principis Paſtorum, & ipſi ſuas animas pro ſalute gregis impendant. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt Chriſtus Jeſus* (*h*) *& tamen ſi Joanni credimus.* (*i*) *Apoſtoli duodecim fundamenta Hieruſalem ſive Eccleſiæ prædicantur; Chriſtus demum eſt petra citra controverſiam, ùt & Paulus* (*k*) *clarè pronunciat: neque tamen ſolùm cum Petro* (*l*) *hoc ſibi nomen vult eſſe commune, ſed etiam cum Abra-*

(a) *l. 5. de Deip. c. 13.* (b) *Matt. 23.* (c) *Luc. 16. Rom. 4. Actor, 7.* (d) *Matt. 23. Ioan. 13.* (e) *1. Timot. 1.* (f) *Ioan. 10.* (g) *Epheſ. 4.* (h) *1. Cor. 3.* (i) *Apoc. 21.* (k) *1. Cor. 10.* (l) *Matt. 16.*

Digitized by Google

Abraham, de quo dixit Iſaias. (*a*) *Attendite ad Petram unde exciſi eſtis: & ſtatim ſe ipſum explicans: Attendite,* inquit, ad *Abraham Patrem veſtrum: Quis aquè, ac Chriſtus, obſecro lux mundi* (*b*) *cenſeri dicique meretur? Et ipſe tamen Apoſtolos hoc nomine ſalutavit.* (*c*) *Complura ſunt id genus alia epitheta, Chriſto, ut capiti congruentia, quæ membris hujus capitis egregiè quadrant, ac illis ipſis in ſacris literis paſſim attribuuntur: Qui ſunt igitur iſti* (pergit ſæpe citatus (*d*) *Caniſius*) *verborum aucupes, tam ſcrupuloſi, nè dicam ſuperſtitioſi, ut in nudis hæreant voculis, & germano verborum ſenſu neglecto, nihil non rapiant ad Contentionem? Errant profectò neſcientes Scripturas, neque Virtutem Dei, quemadmodum de Sadducæis Chriſtus ajebat; ſi enim Scripturas intelligerent, Eccleſiam non calumniarentur, quæ juxta Scripturæ phraſim & conſuetudinem, ſanctis hujuſmodi tribuere non refugit, quæ de Chriſto, vel Deo ipſo prædicantur.* Non poſſum proinde hoc loco præterire, quin obſervari velim occultum *Authoris Anonymi* contra Orthodoxos Deiparæ Cultores odium. Cùm enim potuiſſet, & debuiſſet omnia, quæ circa cultum B. Virginis in Eccleſia Catholica uſitatum, ſiniſtram apud Heterodoxos interpretationem ſortiuntur, eo ſenſu explicare, ut neque S. *Scripturæ,* neque *Rectæ Rationi* repugnet, imò ei, quàm maximè congruat, maluit nihilominus *Luthero, Calvino,* & toti contra *Deiparæ* cultum *malignantium* Concilio adhærere, quàm Clientum ejuſdem SS. Virginis patrocinium ſuſcipere.
De qua utcunque perverſa, & toti Eccleſiæ Catholicæ, non parum noxia temeritate, idcirco ei pro Chriſtiana Charitate vehementer condoleo, qui vereor, nè in eo deſideretur unum è ſignis *Divinæ Prædeſtinationis,* quod juxta multorum piiſſimorum ac Doctiſſimorum Virorum ſententiam (prout pluribus argumentis in Prodromo æternitatis oſtendit Hieremias Drexelius) eſt ſpeciale ſtudium colendi Deiparam & ejus honorem ubivis promovendi. Revelavit quippe SS. Virgo D. Brigittæ, ſuos Clientes, electóſque filios, qui cum tota devotione circa amplificandum illius honorem occupantur, eſſe apiculis mella de floribus comportantibus, quàm ſimillimos. Quid igitur reſtat, niſi, ut inter degeneres fucos eſſe ſuſpicer *Autorem Anonymum,* qui ex floridis librorum ac Doctrinarum, à SS. Patribus & Orthodoxis Eccleſiæ Doctoribus excultarum, hortis & viridariis, nihil præter venenum, quo *Deiparæ* cultus minueretur, & inficeretur, ac tandem penitus aboleretur, exſuxit, & coacervavit? Ipſa autem tanquam bona Mater familias (*e*) *Ignavum fucos pecus à præſepibus arcet.* Fingit quidem *Autor Anonymus* hinc inde ſe *Matris* Dei eſſe valde ſtudioſum, & amicum, ſed vereor, nè ipſi *Sanctiſſima Virgo* obiiciat, quod *Jacobo* fra-

(a) *c. 51.* (b) *Ioann. 11.* (c) *Matt. 5.* (d) *ibid.* (e) *Virg. Georg. 4.*

ſratris ſui Eſau perſonam ſimulanti obtruſit Patriarcha *Jacob.* (*a*) *Vox quidem vox Iacob, manus autem manus ſunt Eſau.* Aut etiam fortâſſe pauculis mutatis exprobret id, quod Proditori ſuo Judæ exprobravit *Chriſtus* (*b*) *Amice oſculo Matrem Filii hominis tradis*?

ANIMADVERSIO XIV.

Autor Anonymus per ſua Monita ſuſcitat Veterum Hæreſiarcharum rixas, & calumnias contra pridem uſitatum & in Eccleſia Catholica receptum Canticum, Salve Regina.

ANimadvertendum 14. Autorem Anonymum, eſtò non eſſet ignarus, quibus armis & quanto ſtudio, præcipui quique *Hæreſiarchæ*, à ſæculo, & ulterà oppugnaverint, & de ore *Fidelium* proſcribere conati fuerint vetuſtiſſimum, & ab annis pluſquam quingentis in *Eccleſia Catholica* uſitatum Canticum *Salve Regina*, nihil tamen penſi habuiſſe per ſua *monita*, denuò inſtaurare vetera bella dictorum Hæreſiarcharum contra præfatum Canticum, eorúmque arma multa jam rubigine obſita, ad malignam ingenii ſui cotem expolire, & exacuere, atque eâ ratione ſincero & germano *Deiparæ* cultui non modicum præjudicium afferre. Tota namque ratio *Lutheri, Calvini, Brentii, Melanchthonis*, & aliorum Hæreticæ pravitatis Autorum, & Incentorum, præmemoratum Canticum deteſtandi fuerunt (prout videre eſt apud Petrum Caniſium libro 12. De Deipara) ſpecioſi tituli *Reginæ, Matris Miſericordiæ, Vitæ, Spei, Dulcedinis, Advocatæ*, & ſimiles, quibus in eodem *Deipara* à ſuis Clientibus honoratur & invocatur. Quorum ſingulos iiſdem propè argumentis, quibus olim uſi ſunt memorati *Hæreſiarchæ* ab *Autore Anonymo* in ſuis *Monitis* veluti in compendio impugnari cuilibet Studioſo *Deiparæ* Cultori eadem *Monita* maturè expendenti, evadit manifeſtum. Ut enim à titulo *Reginæ* ordiar; *Sanctiſſimæ Dei Genitrici* ſubdolè abrogare nititur *Autor Anonymus Monito* 10. ubi ſub larva ejuſdem Virginis ità loquitur: *Nolite dicere: me cum Filio meo habere imperium.* *Matrem Miſericordiæ* appellari prohibet *Monito* 12. *Noli, inquit, dicere quod Chriſtus ſit judex ſeverus, Ego verò Mater Miſericordiæ.* *Vitam* nominare averſatur *Monito* 8. *Nolite*, ait, *me colere, acſi non daretur aditus per Chriſtum, niſì per me. Ipſe eſt Oſtium, Ipſe eſt via, Veritas & Vita.* ſubintellige: *non Ego: Dulcedinem*: hoc eſt *Virginem amabiliſſimam, cujus memo-*

(a) *Geneſ.* 27. (b) *Luc.* 22.

memoria eſt Clientibus ſuis dulcis ſuper mel & favum, dici vetat *Monito* 14. *Nolite*, inquit, *me teneriùs, aut ſenſibilius amare, quam Deum.* *Spei*, titulum in ea tacitè deteſtatur *monito* 7. Uſitatiſſimam denique apud Orthodoxos *Advocatæ* interpellationem, etſi *Deiparæ* abſolutè demere non audeat, eandem tamen in formula ipſam invocandi (quam ſub hoc titulo: Vox *Cultoris Mariani ad B. Virginem* ſub finem ſuorum *Monitorum* apposuit) ità limitat, ut ſupponat, & ſimul doceat *Matrem Dei in Cœleſti curia non aliud poſſe, quàm ſuis laudibus ſupplere erga Deum Omnipotentem quidquid noſtra non poteſt imbecillitas, & impetrare nobis gratiam, ut Deum Omnipotentem & Chriſtum ejus Filium cognoſcamus, amemus, & colamus.* Quæ propoſitiones ſi beneè & accuratè expendantur, non denotant Deiparam eſſe verè, & propriè dictam ſuorum Clientum apud Deum, & Chriſtum Advocatam; ſed tantùm imbecillitatis, ſeu veriùs in perſolvendis Divinis laudibus ſupplentem negligentiæ noſtræ Vicariam, & gratiarum Cœleſtium, quibus indigemus locò noſtri collectricem & mendicam: ad eum ferè modum, quo *Beneficiati* opulentiores, & honoratiores (quos *Canonicos* appellamus) quando non poſſunt, vel negligunt *Choro* aſſiſtere, ſubſtituunt ſibi Clericos inferiores, qui eorũ vices in pſallendo, & divinas laudes decantãdo ſuppleãt (& idcirco Vicariſtæ appellantur) & ſicuti pauperes, qui mendicare erubeſcunt, aut de obtinenda per ſe ipſos eleemoſyna diffidunt, ſubſtituunt locò ſui perſonas aliquas notiores, quæ ſibi eam quoquo modo comparent, & conquirant. Quanquam autem neque hoc muneris, quamvis minùs ſpecioſi, Deipara pro incredibili ſua animi demiſſione & miſericordiſſimo in genus humanum affectu pro nobis ſubire detrectet, certum nihilominus eſt, ad explicandum in ſenſu genuino, & Eccleſiæ intentioni adæquatè conformi, titulum *Advocatæ* non ſufficere, ſed ad ſenſum longè ſublimiorem, quem *SS. Patres* infrà citandi nobis inſinuârunt, attollendum eſſe. Faceſſat proinde procul Autor Anonymus, cum ſua arida, & omnis tenerioris pietatis affectu deſtituta *Deiparam* colendi, Formula, quam veluti raucam alicujus ſtreperi graculi vocem meritò deteſtantur omnes *Marianæ Philomelæ* ſuaviſſimum melos: *Salve Regina!* Deiparæ cum tota Orthodoxa Eccleſia quotidiè accinentes. Nec audeat coram teneris ejuſdem Clientibus venire in comparationem cum celeberrimo, & nunquam ſatis laudato Cantico Salve Regina, quod (teſte *Petro Caniſio*) (a) temporibus *Henrici II. Imperatoris ab Hermanno Contracto de Veringen* virò tum generis Nobilitate, tum Sanctitate, & doctrinæ præſtantiâ illuſtri, ante annos propè ſexcentos compoſitum, & à plurimis Sapientiſſimis juxtà, ac Sanctiſſi-

I mis

(a) *l.* 5. *de Deip. c.* 13.

mis viris approbatum digniſſimum judicatum fuit, quod in Eccleſia, ejúſque Officio Majore ſeu Breviario reciperetur, ità, ut, Presbyteri, qui orare Breviarium tenentur, ſub peccato mortali obligentur, certis temporibus illud recitare, Religioſi in Choro, & extra illum, tum & Canonici in Metropolitanis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis ſolenni ritu alibi pſallere, alibi muſicis & Harmonicis vocibus decantatum audire. Dequo item palàm pronunciare, & ſcribere non dubitavit vetuſtiſſimus, nec imperitus *Autor* (multi D. *Bernardum* fuiſſe autumant) *quod ſit à viris ſanctis compoſitum, à ſanctis inſtitutum, à Sanctis dignè frequentandum. Ad gratiam ſuave, ad ſenſum fœcundum, ad myſteria profundum, quod & affectum mulceat, & de ſenſuum ubertate mentem impinguet, & ad Matrem Domini honorandam, intimas animi medullas majorem in modum inflammet. Cujus quidem Carminis difficile ſit reſerare ſacramentum, & ſenſum, Virtutémque aſſequi. Quod niſi à Religioſis, ſanctáque affectione ferventibus, ſubtiliter intelligi, & efficaciter decantari non poſſit.* His porrò contraria omnia reperias in voce *Cultoris* Mariani, quam è ſuo cerebro deprompſit Autor Anonymus; imò ſi eam accuratiùs expendas, facilè deprehendes, ipſam ad captandam quoquò modò Heterodoxorum gratiam, omnibus titulis Deiparæ, quos id farinæ homines de libris precatoriis Clientum Marianorum expunctos volunt, eſſe penitus deſtitutam.

Advertes inſuper nullam prorſus in ea *Voce Spiritûs S.* ſive cognoſcendi, ſive amandi & colendi fieri mentionem: ut nihil mirum ſit Autorem Anonymum in compilandis ſuis Monitis neceſſariâ Spiritûs S. illuſtratione caruiſſe, & gravi errore deceptum, ad Spiritûs alicujus non optimi inſpirationem animi, & calami ſui aurem applicuiſſe. O! quàm proindè longè diſcretius & melius Orthodoxæ erga Deiparam Pietati & Devotioni providiſſet, ſi ſalvis & integris omnibus antiquitus inter Fideles receptis, atque à Sanctiſſimis & doctiſſimis viris approbatis *Hymnis, Antiphonis,* & id genus *aliis precationibus* docuiſſet *Fideles* edito aliquo brevi Marianarum laudum compendio *in Sanctiſſima Dei Genitrice Maria*, potētiſſimam *Cœli terrarúmq; Reginam* venerari, ad illam tanquam *Advocatam, Mediatricem & totius Salvationis noſtræ Miniſtram,* cum fiducia recurrere; ab ea veluti benigniſſima *Matre Miſericordiæ* miſeriarum ſuarum ſublevationem expoſcere; per ipſam acceſſum ad *Filium*; per hunc ad *Patrem*, & per mutuum utriuſque amorem, ad fontem totius *Conſolationis Spiritum Sanctum* flagitare: illi inſtantiſſimè ſupplicare, ut monſtrando *æterno Patri, Filii* ſui latus & vulnera; *Filio* ſuum pectus & ubera, *Spiritui S.* pretioſiſſima, quibus ipſam ſibi in Sponſam ſubarhavit, dona & chariſmata,

iram

iram peccatorum noſtrorum vindicem mitiget; à deſperationis ac præſumptionis barathro pia manu ſua nos præſervet; in hora mortis fortiſſima protectrix, & felicis æternitatis nuncia nobis aſſiſtat: ità denique omnia vitæ, & mortis noſtræ momenta diſponat, ut poſteaquam ex hac lacrymarum valle demigraverimus, Clientum ipſius in cœleſti gloria numero aſſociati cum *Deo Patre*, cujus *eſt Filia*: cum *Deo Filio*, cujus *eſt Mater*; cum *Deo Spiritu S.* cujus eſt *Sponſa*: cum *Sanctis omnibus*: quorum eſt *Regina*, eam videre, laudare, & glorificare mereamur in æternum.

ANIMADVERSIO XV.

Poteſt citra omnem errorem in Fide Deipara dici: Refugium Peccatorum, *quamvis hìc & nunc ſive de præſenti impœnitentium.*

ANimadvertendum *Decimoquintò.* Autorem Anonymum minùs amplè, & magnificè ſentire de benigniſſima *Deipara* in omne genus hominum miſericordia, & apud Chriſtum ejus Filium pro miſeris Peccatoribus intercedendi poteſtate, dum numero *ſecundo* ſuorum Monitorum, ſinè ulla limitatione, aut diſtinctione Peccatores impœnitentes (hoc eſt, utì ego hoc loci interpretor) pœnitentiam uſque ad finem vitæ differentes, aut de ea aliquando facienda inpræſentiarum parum, aut nihil ſolicitos: à colenda, & invocanda Deipara arcet; negando eam citra graviſſimum errorem poſſe ulla ratione appellari *Refugium Peccatorum impœnitentium.* licèt enim patrocinium illius non poſſit quidquam prodeſſe ad ſalutem Peccatoribus obſtinatis, & finaliter impœnitentibus, *in ſenſu obſtinationis* & impœnitentiæ compoſito (iis ſcilicet in tali ſtatu uſque ad extremum vitæ halitum perſeverantibus, & nullam unquam pœnitentiam acturis, vel agentibus) poteſt tamen plurimùm prodeſſe, in ſenſu diviſo, impetrando ipſis, citra omne eorundem meritum, congruum vel condignum, propter puram putam miſericordiæ ſuæ oſtenſionem, & qualia qualia ſibi exhibita obſequia, auxilia gratiæ efficacia, quibus ſufficienter illuminati, & adjuti de Statu obſtinationis exeant, & ad ſeriam pœnitentiam ſe convertant. Qualiter multos graviſſimos Peccatores fuiſſe è labyrintho ſcelerum ope *B. Virginis* extricatos, & in viam Salutis reductos, teſtantur complures fide dignæ Hiſtoriæ, nominatim verò hiſtoria de *Theophilo*, cujus meminit *D. Petrus Damiani* (a) & *Maria Ægyptiaca*, de qua

 mul-

(a) *Serm. 1. de Nativ.*

Digitized by Google

multa habet Synodus Nicœna. *ſecunda* (*a*) Si enim potuit Deus cœco illi, de quo in Evangelio (*b*) ſinè ullo ipſius, aut parentum demerito, præciſè ad manifeſtandam Filii ſui gloriam, immittere cœcitatem: juxta illud Scripturæ. (*c*) *Neque hic peccavit, neque Parentes ejus, ſed ut manifeſtetur gloria Dei in illo*: cur non poſſit ad manifeſtandam Matris Dignitatem, & Excellentiam, permittere Peccatorem devenire ad eum ſtatum impœnitentiæ, in quo egeat extraordinaria illius ope, & patrocinio ad conſequendam, vel ſerò, gratiam efficacem ad ſalutariter pœnitendum, & reſipiſcendum. Neque enim exiſtimo ità arctis limitibus circumſcriptam eſſe *Deiparæ* potentiam, ut nequeat talibus Peccatoribus à ſuo dilectiſſimo *Filio* impetrare gratiam tum *Prævenientem*, quâ Intellectus illuminetur, & voluntas ad deteſtationem ſcelerum inflammetur: tum *Concomitantem*, quæ ad præſtandum id, quod gratia *Præveniens* ſuggerebat, opituletur. tum *Subſequentem*, quæ omnes difficultates, ac tentationes, Peccatorem à ſemel bene cœpto ſalutis itinere avertere valentes, aut tollat, aut complanet; cúmque ità confirmet, ac corroboret, ut in *Dei* ipſiúſque *Virginis* obſequio uſque in finem conſtanter perſeveret. Et verò ſi *Chriſtus Mariæ Filius* juxta *Apoſtolum* (*d*) *pro omnibus Peccatoribus etiam impœnitentibus mortuus eſt*; Cur nequeat etiam Ipſamet *Virgo Mater* pro Omnibus omnino Peccatoribus, quamvìs hic & nunc impœnitentibus, apud Deum intercedere, ut in nullo ipſorum evacuetur pretium *Sanguinis Filii ſui Chriſti Jeſu*. Et verò hoc ipſam præſtare apertè docuit, vel ipſis lapidibus acclamantibus Venerabilis Presbyter Beda (*e*) ità de SS. Dei Genitrice pronuncians. *Poſteaquam Cælos aſcendit, ſtat coram Deo aſſiduè orationes pro peccatis noſtris effundens juſtos retinet, ne cadant, Peccatores confortat nè pereant.* Si itèm *Chriſtus* coram *Scribis* & *Phariſæis*, eum de conſortio publicanorum, & Peccatorum reprehendentibus apertè profeſſus fuit (*f*) *ſe non veniſſe vocare juſtos, ſed Peccatores*; & D. *Paulus* (*g*) veteris ſuæ obſtinationis, & impœnitentiæ probè conſcius de eodem *Chriſto* dixit: *Chriſtus Jeſus venit in mundum Peccatores ſalvos facere, quorum Ego Primus ſum*; quidni poſſimus *de B. Virgine Filii* ſui genium, quantum à pura Creatura fieri poterat, perfectiſſimè æmulante dicere: *eam veniſſe in mundum quærere, & ſuo Patrocinio ſalvum facere, quod perierat*? Cùm præſertim nonnulli *SS. Patrum* (inter quos D. *Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus* (*h*) diſertè aſſerant: *Mariam magìs propter Peccatores, quàm propter Juſtos Dei Matrem factam eſſe*. & D. *Brigitta* (*i*) narrat ſibi dictum *à B. Virgine*: *Filius meus elegit me ſpecialiter*

(a) *Act.* 4. (b) *Ioan* 9. (c) *ibid.* (d) 1. *Cor.* (e) *Serm. de Aſſumpt.* (f) *Matt.* 9. (g) 1. *Timot.* 1. (h) *l. de Excell. Virg.* (i) *l.* 3. *Revel. c.* 32.

Digitized by Google

liter in Matrem ſuam, ut per me homines reducerentur ad portam Cœli. Et ſicut Magnes attrahit ferrum, ſic Ego attraho Deo dura corda peccatorum. Cui principio innixus modò citatus D. *Anſelmus, ſi*, inquit, *Maria, propter Peccatores*, id eſt, *propter me, meique ſimiles facta eſt Dei Mater*; quomodo immanitas Peccatorum meorum cogere me poterit, ut eorum veniam deſperem? Refert itèm magnæ pietatis & Eruditionis Vir Ludovicus Bloſius Abbas lœtienſis in monili Spirituali. Deum Patrem Virgini Catharinæ (nimirum Senenſi) apparentem, dixiſſe: Mariæ Unigeniti Filii mei glorioſæ Genitrici à bonitate mea conceſſum eſt, propter incarnati verbi *reverentiam, ut quicunque, etiam Peccator, ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à Dæmone Infernali. Hæc enim à me electa, parata, & poſita eſt, tanquam eſca dulciſſima ad capiendos homines, & præcipuè animas Peccatorum.* Hoc ipſum denique exemplo latronis cum *Chriſto* crucifixi, & ad pœnitentiam, & ſcelerum ſuorum deteſtationem repentè converſi, confirmat D. Petrus *Cardinalis Damiani* apud Salmeronem (*a*) ubi mirabilem hanc illius ex Latrone in *Filium Dei* adoptivum & Cohæredem Regni Cœleſtis metamorphoſim *B. Virginis* patrocinio potiſſimùm adſcribit his verbis: *Latro in Cruce converſus eſt: ſed cur non ante? cur non reſipuit, cùm Jeſum in via ſequebatur? cùm eum crucem ſuam ferentem vidit & comitabatur? Tum convertitur, cùm Maria juxta Crucem ſtabat; tunc ex latrone factus eſt Martyr, cùm pro eò Maria deprecabatur.*

Quod autem Deipara ab impertiendo quibuſvis Peccatoribus ad ipſam Confugientibus ſuo auxilio & patrocinio, neminem eorum facilè arceat, monſtratum eſt, in quodam mentis exceſſu D. Gertrudi. (*b*) Vidit enim diverſi generis beſtiolas (per quas peccatores denotabantur) magno numero currere & adrepere ſub pallium B. Virginis: quas omnes Mater Miſericordiæ excipiebat, & quaſi togâ ſuâ protegens, benevolâ manu mulcebat. D. itèm Bonaventura (*c*) docet, *Deiparam hanc in oculis Dei gratiam inveniſſe, ut animas à Meſſoribus, hoc eſt Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relictas colligat, ut ad miſericordiam & veniam poſſint pervenire.* Ex quibus liquidò patet, poſſe me, citra rationabilem cenſuram, omnibus peccatoribus altùm inclamare verba citati D. Bonaventuræ (*d*) *Reſpirate ad Mariam ô perditi peccatores! Ipſa enim* teſte Sapientiſſimo *Idiota* (*e*) *Ipſa*, inquam, *eſt, per quam Peccatores in ſpe veniæ & gratiæ reſpirant.* Ipſa (prout nobis piè & ſanctè pollicetur Mellifluus *D. Bernardus* (*f*) *Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam,*

I 3

(a) *Tom.* 10. *tract.* 49. (b) *l.* 1. *divin. inſin. c.* 2. (c) *in ſpecul. Mariæ.* (d) *in Pſalterio.* (e) *c.* 5 (f) *Serm. ſuper ſignum.*

niam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam. Filius carnis ſuæ ſubſtantiam : Tota denique Trinitas gloriam. Et iterum, *Deiparam* alloquens (*a*) *Sicut*, inquit, *à Te deſpectus & averſus neceſſe eſt* (ſubintellige ſpectatâ præſenti providentiâ, & Decretorum Divinorum ad hunc Statum *naturæ lapſæ* pertinentium ordine) quòd pereat; *Sic ad Te reverſus & à Te reſpectus, impoſſibile eſt quòd pereat.* Verùm nolim exiſtimet Autor Anonymus me his & ſimilibus dictis velle peccatoribus pœnitentiam uſque ad extremum vitæ differentibus, aut etiam omninò negligentibus, & in ſolo Patrocinio B. Virginis infallibilem ſpem ſuæ ſalutis temerè collocantibus, aperire campum libere peccandi, & voluptatibus illicitis indulgendi; memini enim verborum D. Gregorii Magni. (*b*) *Omnipotentis Dei miſericordia illius obliviſcitur, qui Omnipotentis Dei juſtitiæ fuerit oblitus, quia miſericordem Deum invenire non poteſt, qui eum juſtum non timet.* Et D. *Athanaſius* (*c*) *Tremendum væ!* inquit, *imminet omni animæ in peccati ſecuritate conſtitutæ.* Cujus rationem exhibens *D. Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus* (*d*) *Qui*, inquit, *à malis actibus tantùm morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed à ſceleribus relinquitur. Neque* juxta *D. Ambroſium* eſt *Virtus peccare non poſſe ; ſed nolle.* Et ideo omnium Peccatorum rectè pœnitentium ſpeculum *Magdalenam* laudans D. Auguſtinus. (*e*) *Non ſe reſervavit*, inquit, *ut in fine vitæ pœnitentiam ageret, ſed adhuc dum poterat peccare, ſic voluit peccata deſerere, ut illam de adulteriis ſuis non neceſſitas ſubtraheret, ſed voluntas.* Cujus exemplum utinam ſequerentur omnes Peccatores, per illuſionem neſcio cujus vanæ ſpei, pœnitentiam in ſerum vitæ veſperum differentes. Juvenes quidem propter illud *D. Cyrilli Alexandrini.* (*f*) *Qui dicunt: peccemus in juventute, & in Senectute ad meliorem frugem redibimus, ii à Dæmonibus illuduntur, ac deridentur. Et quoniam ultro peccant, eis ad ſanitatem reditus non datur:* Senes verò propter alterum Dictum *D. Gregorii Nazianzeni* (*g*) *Caput jam caneſcit, propè eſt æſtas vitæ, in nos fortè falx acuitur ; & timeo, ut nobis dormientibus, & in vana ſpe occupatis, repentè accedat Meſſor terribilis.* Propter hæc igitur & plura alia *SS. Patrum* monita, præcipuè verò ex eo, quòd præſumptio de *Miſericordia Divina*, quâ nonnulli ad liberiùs peccandum abutuntur, ſit peccatum in Spiritum S. adeoq; etiam in Sponſam illius Mariam; & tale quidem, quod neque in hoc neque in altero ſæculo (id eſt longè difficillimè) ſoleat dimitti : propter hæc inquam facilè advertet quilibet prudens, non eſſe meæ mentis, per ea quæ in hac Animadverſione allegavi, perverſis, & ad pœnitendum accedioſis Peccatoribus fucum

(a) *Serm. 4 ſuper miſſus.* (b) *in moral.* (c) *q. 88.* (d) *l. 1. ad Eccl.* (e) *Serm. 58. de temp.* (f) *Orat. de Exitu Animæ.* (g) *Orat. cont. differ. S. Baptiſ.*

cum facere, ſed hoc ſolum ſatagere, nè ullus Peccatorum, qualis & quantuſcunque ille ſit, à colenda Deipara arceatur aut prohibeatur. Nihil porrò refert, quòd aliqui miſericordiſſimo *Deiparæ* patrocinio abutantur ad dilationem pœnitentiæ, & ſcelerum ſuorum continuationem; ſufficit enim quòd finis ultimatus, quem per Deiparæ cultum intendunt, ſalus nempe æterna, de ſe bonus ſit. & medium, quod ad talem finem conſequendum adhibent, hoc eſt cultus Deiparæ, ſit in ſe optimum, licèt ex circumſtantia nimiæ præfidentiæ, quæ pœnitentiam differendi occaſionem hìc & nunc per accidens præbet, extrinſecè vitietur: nam quemadmodum non ideo tollenda eſt, & improbanda confidentia peccatorum in Dei miſericordiam, & Chriſti merita, qui non venit juſtos quærere: ſed Peccatores; non, inquam, tollendus eſt uſus illius Fiduciæ, ex abuſu ipſius à præſcitis ad præfidentiam, & præſumptionem; ità etiam tollendus & improbandus non eſt uſus fiduciæ in Matrem Miſericordiæ, & Refugium Peccatorum, in cujus ſinu illos ſalvandos quæſivit Verbum Caro factum, quòd videamus nonnullos uſum hujus fiduciæ vertere in abuſum, ſtante ſemper hac univerſali Regula: *Propter abuſum non eſſe tollendum uſum*, ſi hic ſolum ſit occaſio, & non cauſa abuſûs; alioquin cùm in rebus humanis ordinariè nihil reperiatur undequaque perfectum, & Virtus teneat medium inter exceſſum, & defectum, vix ullius rei bonæ uſus durare poſſe:, propter viciniſſimum periculum abusûs; & cùm corruptio Optimi ſit peſſima, optima quæque omitti poſſent ob periculum Corruptionis, dum omnia perverſæ poſſunt pervertere mentes. Nec poteſt Autor Anonymus, citra contradictionem multorum Doctiſſimorum Virorum, dicere, cultum Deiparæ à peccatoribus impœnitentibus in tali ſtatu exhibitum, eſſe prorſus *vacuum*, & egenum elementum. Licèt enim nequeant per illum (ut pote extrinſecè vitioſum, & fortaſſe tantùm per actus in Subſtantia naturales elicitum) mereri aliquid de *condigno vel congruo*, quod immediatè & per ſe conducat ad vitam æternam; poſſunt tamen per B. Virginis patrocinium, ùt minimùm impetrare aliquam Gratiam Protectionis externæ, quamvis purè naturalem; quâ ad pœnitentiam remotè & per accidens diſponantur. Qualis eſſet ſi Peccator cooperante Deipara, poneretur in iis circumſtantiis, ut incideret in Concionatorem aliquem, contra ſcelera, quibus obnoxius eſt, graviter & ad perſuadendùm, ac Auditoris ſui genium conciliandum, aptè, & nervosè detonantem; aut interveniret infelici caſui alicujus ſui conſortis, quo graviter percelleretur, & ad pœnitendum provocaretur. Talis enim gratia poteſt eſſe non ſolùm quoad *Subſtantiam*, verùm etiā quoad modum aliquid purè naturale; ſicuti eſſet caſus in quo Infans mox moritu-

rus,

Digitized by Google

rus, naſceretur juxta fontem, unde poſſet hauſtâ aquâ illico baptizari, atque ità pervenire ad ſalutem æternam. Et conſonat huic doctrinæ id quod ſibi à *Deipara* dictum memorat *S. Brigitta* Svedica. (*a*) Nullus, inquiebat, adeò maledictus eſt, qui quamdiu vivit, careat miſericordiâ meâ, quia propter me ùt minimùm leviùs tentatur à Dæmonibus, quàm aliter tentaretur. Carentia autem gravioris tentationis numeratur de ſe à Theologis inter gratias protectionis externæ. Accedit his etiam communis Theologorum ſenſus, aſſerentium, longè minus *per ſe loquendo* requiri ad *Impetrationem*, quàm ad *meritum*, eò quòd valor meriti nitatur potiſſimùm dignitati & obſequiis perſonæ operanti propriis; Impetratio verò niti poſſit etiam ſuffragiis & meritis alienis, quando ea pro motivo impetrandi ab orante allegantur. Prout videre eſt in quotidianis libellis egenorum, magnis Principibus Supplicantium; quibus dum non ſuppetunt argumenta fundata in meritis propriis, deſumunt ea ex meritis ſuorum Majorum tametſi alienis. Quamvìs ergo gratia Protectionis externæ non caderet ſub Peccatoris impœnitentis meritum, poterit nihilominus cadere ſaltèm aliqualiter ſub Deiparæ impetrationem, Filii ſui merita interponentis. Sicuti verò juxta jam iteratò factam proteſtationem, non eſt mihi animus, per ea quæ hactenus retuli, Peccatoribus ſecurè delinquendi, & pœnitentiam de die in diem differendi, frœna laxare; ità multò minus in mentem venit, iiſdem ſub prætextu alicujus aridi, & frigidi cultûs Deiparæ (prout loquitur *Autor Anonymus* (*b*) in ſuis Monitis) infallibilem Spem ac fiduciam certò ſecuturæ ſalutis ingenerare. Hæret namque altè impreſſum animo id, quod ſuperbiſſimo, & *in Deum* juxtà ac homines iniquiſſimo *Babyloniorum Regi Nabuchodonoſori*, non ſinè particula reſtringente *forſitan*, inculcavit Propheta *Daniel* (*c*) *Peccata tua eleemoſynis redime*, & (*NB.*) *forſitan propitiabitur tibi Deus.* Ad quem locum *D. Salvianus.* (*d*) *Hoc*, inquit, quod dicit: *forſitan ſpem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi poteſt, quàm difficilè jam in extremis conſtituti Peccatores, quâlibet munificentiâ ad perfectam indulgentiam pervenire poſſint*: quando Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationem Dei inquirendam, promittere non eſt auſus obtinendam: ſed dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu. Neque exemplum latronis cum Chriſto crucifixi ex D. Damaſceno in Deiparæ favorem, & Solatium Peccatorum, paulò antè à me adductum, judico ità eſſe efficax, ut poſſit Peccatoribus pœnitentiæ procraſtinatoribus, præſtare ſecuritatem infallibilem, aut etiam ſufficienter probabilem, ſimilis gratiæ per *Deiparæ patrocinium* ſub ſerum vitæ veſperum obtinendæ.

Terret

(a) *l. 6. Revel. c. 10.* (b) *Num. 2.* (c) *c. 4.* (d)

Digitized by Google

Terret namque me *D. Chryſoſtomus* (*a*) qui *Latronem* illum, de quo agimus: *Furem Cæleſtis Imperii* appellavit, ut (quantùm exiſtimo) doceret, tam incertam eſſe peccatoribus ſerò pœnitentibus ſalutem, quàm incertus eſt furibus, quando Dominus rei ſuæ advigilat, attentati furti ſucceſſus, & eventus. Quod attendens *D. Auguſtinus* (*b*) *apud illum*, inquit, *Cordis interpretem* (hoc eſt *Deum*) *ars furandi non admittitur ad ſalutem; quia eſt nimis oculatus, & ad res ſuas nimis attentus*. Et *D. Gregorius Nazianzenus* (*c*) agens de Hemorrhoiſſa, quæ fimbriam veſtimentorum *Chriſti* attingendo: *Sanitatem* (ùt loquitur (*d*) *D. Ambroſius*) *quaſi ſuffurata fuit*. *Cave*, inquit, *nè ſanguinis defluvio labores, Chriſtùmque jam ſuffurandæ ſalutis causâ prehendere nequeas. Neque enim furto ſæpius circumveniri Chriſtus amat, tametſi clemens & facilis ſit*. Maneat ergo poſſe non obſtantibus omnibus argumentis, quæ *Autor Anonymus* in *Apologia* pro defenſione ſuorum *Monitorum* edita ex Promontorio malæ ſpei P. Pauli Zehentner, & aliis Autoribus deſumpſit; poſſe, inquam, citra omnem in *Fide* errorem in ſenſu à me hactenus explicato, *B. Virginem* nominari *Refugium Peccatorum* etiam *impœnitentium*: eorum præcipuè, quos, miſerum ſuum Statum equidem cognoſcentes, & ad ſalutem æternam anhelantes, non permittunt tamen indomitæ paſſiones, tenaces occaſiones, & difficiles reſtitutiones, pravi habitus, & aliæ circumſtantiæ extrinſecæ, per cœnum ſuorum ſcelerum, ad Cœlum exurgere, & ad aliqualiter ſibi illuceſcentem divinæ gratiæ radium clauſas mentis ſuæ valvas aperire: neque has noſtras reflexiones eſſe tales, quæ eos in ſtatu, quo degunt, peſſimo confirmare valeant; ſed (quod in alto mari naufragantibus, & propè deſperatis, ac jam jam mergendis, facere ſolemus) manum vel tabulam iis porrigant, ſi quo modo ex hoc naufragio emergere, & ad optatum æternæ ſalutis littus evadere poſſint. In quem finem ſingulis eorum inter malarum Paſſionum, & quæ exinde conſequuntur peccatorum procellas, fluctuantibus iterum iterúmque ingemino monitum *D. Bernardi*: (*e*) *Reſpice ſtellam, voca Mariam*. Cùm enim apud *Iſaiam*: (*f*) *Cor impii ſit quaſi mare fervens*: & apud *Hieremiam* (*g*) de anima peccatrice funditus everſa, & omni amaritudine repleta, dicatur: *Magna eſt velut mare Contritio tua*: quis in hac turbati maris caligine, & tempeſtate, miſeris Peccatoribus opportuniùs illuceat, aut efficaciùs opituletur, quàm vera ſtella Maris Maria? *Quiſquis te intelligis* (pergit monere citatus *Bernardus*) *in Mundi hujus profluvio, magìs inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare; nè avertas oculos à fulgore hujus ſideris, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, reſpice ſtel-*

(a) *homil. de Cruce*. (b) *ſerm. 120. de temp.* (c) *Orat. in S. Baptiſma*. (d) *l. 3. in Luc. c. 17*. (e) *ſerm. 2. ſuper Miſſus*. (f) *c. 17*. (g) *Thren. 2*.

ſtellam, voca Mariam: ſi jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis; reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, Conſcientiæ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam: in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde. Adſtipulatur etiam his adeò ſalutaribus melliflui Doctoris *Bernardi* monitis, *S. Amadeus* Lauſanenſis Epiſcopus: (*a*) *Deipara*, inquit, *Maria* (id eſt *Maris ſtella*) *provido Dei conſilio vocata eſt, ut nomine declaret, quod re ipſa clariùs præſtat. Mare quippe præſentis ſæculi navigantes, ſeque plenâ fide invocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit; eóſque ovantes ſecum ad littus feliciſſimæ Patriæ perducit.* Et ut hoc magìs explicet, ac declaret, ſubdit: *Dici non poteſt, quoties hi aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent; illi in Syrtes peſſimas, non reverſuri, inciderent: hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret; illos Sirenarum dulcis cantus in exilium pertraheret; niſi ſtella Maris perpetua Virgo Maria, ope validiſſimâ obſtitiſſet, ſuóſque jam fracto gubernaculo, & rate conquaſſatâ, omni humano conſilio deſtitutos, cœleſti ductu, ad portum æternæ pacis, applicandos, eveheret.* Neque ab hac *S. Amadei* doctrina diſſentit non obſcuri inter veteres *Patres* nominis *Abſalon* Abbas, (*b*) cùm ait: *Maria juſtè ſtella Maris*, id eſt, *Peccatoris ſtella nuncupata eſt. Sicut enim Stella hæc navigantibus in mari rectæ viæ indicium eſt; ſic & Maria in hoc mundo tortuosè viventibus, aliis rectam viam bonæ operationis, aliis rectam viam humilitatis, aliis rectam viam Caſtitatis oſtendit.* Denique ut plures alios taceam, ſignat hanc piam ac eruditam *SS. Bernardi & Amadei* adhortationem ſuæ autoritatis ſigillo (*c*) *Doctor Angelicus: Dicitur*, inquit, *Maria ſtella maris; ſicuti enim navigantes ad portum ducuntur per ſtellam maris: ità Chriſtiani ducuntur ad gloriam per Mariam.*

ANIMADVERSIO XVI.

Quo Senſu poſſit Deipara ſuos Cultores ex Inferno eripere, & ad pœnitentiam revocare.

ANimadvertendum *Decimoſextò, Autorem Anonymum* in eodem Articulo 2. ſuorum *Monitorum*, non videri ſatis conſideratè improbâſſe & deteſtatum fuiſſe doctrinam quorundam *SS. Patrum*, & *Theologorum*, aſſerentium *B. Virginem* poſſe ſuo patrocinio, & interceſſione, *Peccato-*

res

(*a*) *hom. 8. de laud. V.* (*b*) *Serm. 31. de Annunc.* (*c*) *Opuſc. 8.*

res ex ipſis Inferni faucibus eripere, & ad pœnitentiam revocare. Præterquam enim quòd hoc expreſsè afferant nonnulli *SS. Patres* paulò pòſt citandi; poſſe id ipſum ſalvis omnibus, quæ circa pœnarum infernalium æternitatem, & divinorum Decretorum immutabilitatem tradunt *S. Scriptura, Concilia, & Patres*, pluribus modis fieri, eruditè demonſtrat *Franciſcus Mendoza.*(*a*) Primò namque poteſt *Deipara* Peccatoribus, graviſſimorum ſcelerum pondere uſque ad Inferni fauces depreſſis, &, ſive imprudenti deſperatione ſalutis, ſive pervicaci *nolitione* medii ad hanc unicè neceſſarii (hoc eſt pœnitentiæ) in abyſſum flammarum infernalium mox præcipitandis, ſuâ apud Deum interceſſione impetrare auxilia gratiæ *congrua*, & efficacia, quibus ad cor ſubitò revertentes, in ipſo quaſi æternæ damnationis articulo reſipiſcant, & ad ſeriam pœnitentiam ſe convertant. Quod multis Peccatoribus, ope, & interceſſione *B. Virginis* eveniſſe præter varias diverſorum temporum hiſtorias, exemplo cujuſdam *Baſſi Burgundionis*, probat D. *Petrus Card. Damiani.*(*b*) Cùm igitur apud *Juriſperitos cingendus* ſumatur *pro cincto*, & apud Medicæ artis intelligentes, *æger* in præſentiſſimo mortis periculo conſtitutus, reputetur pro *mortuo*; cur non potuerit *à SS. Patribus* Peccator æternæ damnationi proximè obnoxius reputari inter damnatos; & hâc ratione *B. Virgo* dici, eum eripuiſſe ex ipſis Inferni faucibus? Favet etiam huic modo loquendi ipſe textus Sacræ Scripturæ. David namque gloriatur ſe ereptum de ſepulchro ſeu morte, quam nondum incurrerat, ſed erat proximè incurſurus. (*c*) *Eruiſti*, inquit, *animam meam ex inferno inferiori.* Et alibi gratias agit Divinæ protectioni, & providentiæ, quòd ſe redemerit de gladio hoſtili, ſub cujus poteſtatem nondum erat redactus, ſed tantùm proximè redigendus. (*d*) *Redemiſti*, inquit, *Servum tuum de gladio maligno.* Ratio autem à priori hujus modi loquendi eſt: quia (utì ex *S. Dionyſio* (*e*) *& D. Auguſtino* (*f*) notavit (*g*) *Franciſcus Suarez*) duplex eſt redimendi, & à malo aliquo liberandi modus. Alter qui jam captivum, aut malo alicui implicitum redimit, & à tali malo liberat: Alter qui proximè captivandum, aut huic, vel illi malo implicandum, nè captivetur, aut tali malo implicetur, præſervat. Eſtque poſterior hic modus priori illo longè præſtantior, & æſtimabilior (longè namque melius, & optabilius eſt, nunquam infirmari, adeóque præſervari, nè ægrotes; quàm, poſteaquam infirmus fueris, à morbo per ſolicitam Medici curationem liberari) & ſervit plurimùm propugnatoribus Immaculatæ Conceptionis *Deiparæ* ad oſtendendum, quo modo Ipſa, non obſtante carentiâ omnis peccati tam *Originalis*, quàm actualis, potuerit nihilomi-

K 2

(a) *l. 2. Virid. prob. 5.* (b) *Opuſc. 33. c. 2.* (c) *Pſalm. 85.* (d) *Pſalm. 143.* (e) *de divin. nom. c. 8.* (f) *in Pſalm. 85.* (g) *Tom. 2. in 3 part. d. 5. ſec. 5.*

Digitized by Google

minùs à Chriſto redimi, & à peccato originali liberari: non equidem lapſam, & alicujus peccati cœno maculatam erigendo, aut emundando; ſed ex prævi-ſis Chriſti meritis, nè laberetur & macularetur, præſervando. Alter modus, quo Deipara ſinè præjudicio ſanæ Doctrinæ, dici poteſt, *Peccatores ex Inferno eripere*, & ad ſalutarem pœnitentiam perducere, eſt: ſi admittamus (quod ſinè præjudicio multarum hiſtoriarum fide digniſſimarum negare non audemus) multos Peccatores (quorum catalogum texit Raderus ad diem 24. Aprilis) jam vitâ functos, ex præviſis Deiparæ precibus nondum finali, & ultimatâ ſupremi Judicis Sentētiâ fuiſſe fulminatos. quis enim vetet Deū abſolutè poſſe, etiam poſt mortem, retinere animam, tam extra Cœlum, quàm extra Infernum Damnatorum, qui tot millenis annis in tertio loco, id eſt limbo, Veteres Patres ſervavit? quin & ſuſpendere Sententiam damnandi, vel ſalvandi, ubi ipſi Omnipotenti libet aliquid ſupra curſum ordinarium, pro majori ſua gloria operari; quod non modò in gratiam Deiparæ, ſed aliàs etiam factum legimus. Eſto namque Judicium particulare fiat, & Sententia Decretoria æternæ condemnationis, vel ſalvationis regulariter feratur in inſtanti mortis, aliquorum nihilominùs judicium ſuſpendi ad tempus, pluribus argumentis eruditè oſtendit Robertus Cardinalis Bellarminus l. 2. de Purgatorio c. 2. Si ergò facultas Peccatores jam vitâ functos ad vitam denuo revocandi, & ſic eos ab inferis redimendi aliquibus Sanctorum conceſſa fuit; multò magis æquum erat, eam concedi *Deiparæ* ob eminentiſſimam *Divinæ Maternitatis* dignitatem, omnium *Sanctorum* privilegia ſibi (formaliter, vel eminenter) vendicantem. Quo argumento in materia non multùm diſſimili utens *D. Bernardus* (*a*) & *S. Ambroſius* (*b*) *Quod*, inquiunt, *vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum; per quam omnis mortalitas evaſit ad vitam.* Quod, ipſum confirmans *D. Auguſtinus* (*c*) *Non eſt*, inquit, *dubium, Mariam, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.* Quòd porrò nonnulli *Sanctorum* non ſolùm graviſſimos Peccatores, ſed etiam impiiſſimos Idololatras taliter ab Inferno revocaverint, teſtes omni exceptione majores ſunt: *D. Ambroſius* (*d*) *S. Maximus* (*e*) *S. Gregorius Magnus* (*f*) *Egeſippus* (*g*) & noviſsimè *Urbanus* 8. in Bulla Canonizationis *S. Franciſci Xaverii*: ubi in teſtimonium Sanctitatis hujus *Orientis Apoſtoli*, adducit tres Ethnicos jam vitâ functos (& in his unum, alterum jam diem ſepulchro infoſſum) *Xaverii* precibus vitæ ſimul & Chriſtianæ Fidei reſtitutos. Dicamus ergo ſimiliter nihil obſtante *Autoris Anonymi*

(a) *Epiſt.* 147. (b) *l. de inſtit. V.* (c) *ſerm.* 35. *de SS.* (d) *ſerm.* 90. (e) *ſerm.* 2. (f) *l.* 1. *dialog. c.* 12. (g) *l.* 3. *c.* 2.

mi cenſurâ, Deum ad glorificandam ſuam Matrem, quandoque animas Defunctorum in ſuſpenſo ultimatæ Sententiæ ad tempus reliquiſſe, & poſtea interveniente ejuſdem SS. Matris patrocinio ad vitam denuò revocâſſe, & ſic per Pœnitentiam, aut Baptiſmum ad obtinendam vitam æternam diſpoſuiſſe.

Ex his ſatis clarè apparet, ſinè omni errore in Fide aut rectâ ratione dicere potuiſſe, & dixiſſe *D. Bernardum (a) per B. Virginem fuiſſe Cœlum repletum & evacuatum Infernum.* Itèm *S. Cyrillum* Alexandrinum (*b*) *Deiparæ patrocinio, multos fuiſſe ab æternæ damnationis ſententia ereptos & præſervatos.* Et *S. Germanum* Patriarcham Conſtantinopolitanũ (*c*) *Dei Genitricem peccatores ab æterno incendio liberare. Et S. Petrum Damiani (d) Beatiſſimã Dei Genitricem poſſe Peccatores deſperatos in ſpem beatitudinis relevare & ad viã ſalutis reducere.* Rectè deniq; pronunciâſſe SS. Patres Græcos in Menæis; dum *Mariam mortalitatem inferni appellaverunt.* Patet præterea *Autorem Anonymum* non habuiſſe cauſam ſufficientem temerè affictis erroribus Deiparæ Cultores dehortandi, & Privilegium *Bullæ Sabbatinæ Sacro Ordini Fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo* conceſſum, & multorum Pontificum declarationibus collaudatum, ex obliquo arrodendi his verbis: (*e*) *Non eſt privilegium ullum peccatori impœnitenti conceſſum, ut æternum non patiatur incendium, quantumvis me colere præſumpſerit.* Pœnitentia namque legibus Sacri Evangelii non ità ſtrictè præſcripta eſt, ut per hoc Omnipotentis Dei manus abbreviata ſit, quo minus nonnullis Peccatoribus, propter quædam ſpecialia erga Deiparam pietatis obſequia, etiam poſt fata tempus aliquod indulgeat, quo à Gehennæ incendiis evadere & liberari poſſint. Multùm etiam ad illuſtranda hactenus dicta facit doctrina nonnullorum Theologorum, quos adducit & ſequitur *Rutilius Benzonius* Epiſcopus Lauretanus (*f*) affirmantium probabiliter dici poſſe, illam partem pœnarum, quæ Damnatis pro demerito ſuorum ſcelerum alioquin acriùs puniendis ſubtrahitur, & à Deo miſericorditer condonatur (ſupponunt enim cum *D. Thoma (g) Damnatos puniri infra condignum*) ac detrahitur, provenire non ſolùm ex miſericordia *Dei*, verùm etiam ex interceſſione *Deiparæ.* Imò D. *Ildephonſus* Toleti Archiepiſcopus (*h*) non dubitavit piâ præſumptione aſſerere, quotannis 18. Calend: Septembris, quo die glorioſæ Virginis in Cœlos aſſumptæ memoria recolitur, ipſius intercesſione, & potenti in Dæmones imperio, damnatorum ſupplicia, aut penitus ſuſpendi, aut minimùm mitigari, ait enim: *Dicam plus ſi audeo; dicam fideli præſumptione, dicam piâ temeritate. Totus mundus hodie condignâ jubilatione lætatur, & gaudet, Tartarus*

(a) *Serm. 98.* (b) *homil. 6.* (c) *Serm. de Zona V.* (d) *Serm. 1. de Nativ.* (e) *Monit. 2.* (f) *in pſalm. 83. c. 2.* (g) *1. p. q. 21. a. 4.* (h) *Serm. 5. de Aſſumpt.*

tantummodò ululat, fremit & ſubmurmurat; quoniam gaudium, & lætitia hujus diei clauſtris infernalibus incluſis, aliquod remedium, & refrigerium præſtat. Non audent, ùt opinor Miniſtri Tartarei ſuos attingere hodie Captivos, quos recolunt redemptos illius ſanguine, qui pro mundi ſalute dignat⁹ eſt naſci de Virgine. Hæc D. Ildephonſus; cujus opinioni aſſentiri vel diſſentiri eſto per me cuilibet liberum. Hoc exiſtimaverim eſſe probabili⁹, quod docet Joannes *Gerſon* Cancellari⁹ Pariſienſis: (*a*) piè ſcilicet credi poſſe, eo die, quo Deipara in Cœlum aſſumpta eſt, Purgatorium fuiſſe omnibus inibi captivis penitus evacuatum. Si enim (inquit) in Coronatione Regum ac Principum, ad teſtificationem publicæ lætitiæ, ac ſolennitatis, evacuantur carceres, multò magìs id factum credamus in die coronationis, & inaugurationis Auguſtiſſimæ juxta ac Potentiſſimæ Cœli & terræ Imperatricis Mariæ: ſed & eàdem die annuè recurrente *Deiparam* ad Purgatorii carceres in ſolatium animarum ibi degentium deſcendere viſam fuiſſe teſtatur *B. Petrus Damiani*: (*b*) & D. Brigittæ Svedicæ revelavit eadem SS. Virgo: (*c*) *Nullam eſſe pœnam in igne Purgatorii, qua propter illam non ſit remiſſior, & levior ad ferendum quàm aliter eſſet.* Quæ omnia ſi non capit *Autor Anonymus*; meminerit alia eſſe judicia Dei, alia hominum, & longè ampliorem eſſe ſphæram Divinæ Potentiæ, quàm ſit intelligentiæ humanæ. Nam *in quo, ex quo,* & *per quem* ſine modo facta ſunt omnia, ipſe ſibi modum à Creatura, quam fecit ex nihilo, præſcribi non permittit.

ANIMADVERSIO XVII.

Quo Senſu dixerint nonnulli SS. PP. Deiparam ſuos Clientes in ſupremo Judicio defendere, & ab æterna Damnationis Sententia liberare.

ANimadvertendum *Decimoſeptimò. Autorem Anonymum* in eodem, quod immediatè antè expendimus *Monito* per hæc verba: *Procul à me ſit, ut ego hos degeneres meos Cultores, in judicio defendam* &c. præbere *Heterodoxis* occaſionem traducendi, & in obliquum ſenſum detorquendi nonnullas propoſitiones *SS. Patrum Precatoriis Clientum Marianorum libellis* piè inſertas, quibus Patrocinium *Deiparæ* non ſolùm pro hora mortis, verùm etiam pro conſequente ad illam divino Judicio tum *Particulari*, tum *Generali*, ſuppliciter implorant: quæ ſecundùm literam acceptæ, & ad trutinam Fidei, & rectæ

(a) *ſuper Magnificat.* (b) *l. 3. epiſt. 172.* (c) *l. 6. Revel.*

rectæ rationis examinatæ, utique non ſubſiſterent, niſi ſub allegoria Judicii inter homines exerceri ſoliti, ſublimioris intelligentiæ ſenſu fulcirentur. Quocirca pro recta & genuina ejuſmodi propoſitionum interpretatione, ſupponendum eſt, neminem SS. Patrum fuiſſe ità rudem & ignarum, ut exiſtimaverit, poſt animæ à corpore ſeparationem, pro eo temporis puncto, aut ſpatio, quando apud ſeverum Divinæ Juſtitiæ tribunal ſiſtemur omnes judicandi, ut recipiat unuſquiſque, prout geſſit in corpore ſuo, ſive bonum, ſive malum, locum fore aliquibus excuſationibus, aut defenſionibus; multóque minùs uſitatis in foroſori Exceptionibus, Replicis, Duplicis, Triplicis, Appellationibus, Reviſionibus, & ſimilibus ambiguarum cauſarum protelationibus (hæc enim omnia arguunt, aut ſaltèm ſupponunt in Judice aliquam cauſæ ignorantiam, vel animi inconſtantiam, quæ non cadunt in Omniſcientiſſimum & Sapientiſſimum Deum) ſed voluiſſe magnificum de univerſali Deiparæ patrocinio animi ſui ſenſum explicare, per allegoriam ſeu ordinem ad judicium humanum, in quo plurimùm prodeſt habere peritum, & potentem cauſæ ſuæ Patronum, & Advocatum. Familiare namque eſt non ſolùm SS. Patribus, verùm etiam ipſi Spiritui S. nonnulla myſteria Fidei, quæ ex defectu propriarum ſpecierum, immediatam intellectûs noſtri aciem ſubterfugiunt, per congruam, & ſenſibus noſtris accommodatam alluſionem explicare: ſic namque (ut præſenti materiæ inhæreamus) ad exprimendam ſummam, & exactiſſimam divinorum judiciorum æquitatem merita, & demerita hominum *appendi in ſtatera*, ſacrilego *Babyloniorum* regi *Balthaſari* denunciavit Sanctiſſimus juxta ac Sapientiſsimus Vates *Daniel*:(*a*) *Appenſus es*, inquit, *in ſtatera. & inventus es minus habens.* Et præclariſsimum patientiæ ſpeculum *Jobus* ad juſtum Dei judicium provocans:(*b*) *Appendat me*, ait, *in ſtatera juſta.* Sic eadem Scriptura Sacra irrefragabilem omnium, de quibus ante *Divinum Tribunal* conveniendi ſumus, geſtorum manifeſtationem & atteſtationem, ſub metaphora *apertionis librorum*, quidquid à nobis unquam factum, dictum, vel cogitatum fuit, exactè deſcripta continentium, explicat apud modò citatum *Danielem*:(*c*) *Judicium*, inquit, *ſedit, & libri aperti ſunt.* Et Aquila Apocalyptica *Joannes*:(*d*) *Judicati ſunt*, ait, *mortui ex iis, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.* Sic etiam ad vulgi captum *S. Cyrillus* (*e*) inducit coram Deo Judice altercantes, & inter ſe contendentes angelos bonos, & malos, utris in prædam cedere debeat anima peccatoris in Judicio comparentis. Et *D. Auguſtinus* (*f*) repræſentat Dæmonem (juxta quod *à D. Joanne* appellatur (g) *accuſator fratrum*) animas apud Divi-

(a) *Daniel* 5. (b) *Iob*. 31. (c) 7. (d) c. 20. (e) *Orat. de exceſſ. animæ.* (f) *Tom. 6. oper. ſerm. contra Iudæos.* c. 4. (g) *Apoc.* 12.

Divinæ Juſtitiæ tribunal accuſantem, & calumniantem. Sic *D. Bernardus, Chryſoſtomus, Damaſcenus*,& plures alii *de SS. Patribus* docuerunt, animas poſt finem vitæ ante thronũ Dei,& Chriſti ab Angelis ſive bonis ſive malis deportari, & ibidem judicari. Deniq; ipſa Orthodoxa Eccleſia in Sacrificiis Miſſæ pro Defunctis eò etiam alludit, dum ait: *Liber Scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde Mundus judicetur*. Item ibid: *quem Patronum rogaturus, cùm vix juſtus ſit ſecurus*. Quæ omnia ſicuti, & plura alia (prout ſuprà inſinuatum fuit) ad examen rigoris Scholaſtici adducta neutiquam ſubſiſterent, niſi allegoricè tantùm, & metaphoricè dicta intelligerentur. Senſus proinde, & mens *SS. Patrum Deiparæ* patrocinium pro ſevero *divinæ Juſtitiæ* foro ſibi tempeſtivè efflagitantium fuit, procurare ſibi eâ ſuffragante, dum etiamnum vivunt, pro hora mortis auxilia gratiæ efficacia, quibus adjuti ſeriam, & ſufficientem de culpis vitæ anteactæ pœnitentiam concipiant; atque ità comparati, & tum contra Conſcientiæ propriæ, tum etiam Dæmonum apud Divinum Tribunal, quaſdam quaſi accuſationes ſibi intentantium, bene obarmati cum fiducia obtinendæ veniæ, & capeſſendæ ſalutis, ad illud horribile Judicium, accedant. Quo ſenſu rectè poteſt Deipara Clientes ſuos in judicio defendere, & ab æternæ Damnationis ſententia abſolvere. Nam etiam in humanis Advocatus, qui Clientem ſuum Capitali Sententiæ obnoxium in tempore ità inſtruxit, ut in proximè ſequente judicio condemnari, & mortis Sententiâ feriri nequiverit, omnium prudentum judicio, eidem in tali judicio patrocinatus fuiſſe, eúmque à mortis Sententia abſolviſſe, cenſetur. Atque hæc procul dubio fuerit mens *S. Amadei Lauſanenſis Epiſcopi* (a) ita *Deiparæ* humiliter ſupplicantis: *Per Te in numero ſalvatorum nos eſſe contingat: ô clemens! ô pia! ô dulcis Maria! Ut cùm erit dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, non pro reatu puniamur, ſed per Te digni ô Domina inveniamur miſericordiâ!* Et *S. Baſilii* Seleuciæ Antiſtitis: *O! Virgo* inquit, *Sanctiſſima, ſupernè nos reſpice, & ad thronum Judicis, ſinè pudore adductos, in ea nos ſtatione colloca, quæ eſt ad Filii tui dexteram; ut in ſublime rapiamur, & pari cum Angelis hymno improcreabilem ejuſdem naturæ Trinitatem perſonemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu S. cognoſcitur & laudatur per ſæcula.* Et *S. Ephrem*: (b) *Adſis mihi ſemper*, exclamat, *Virgo miſericors, clemens & benigna, in præſenti quidem vita fervens protectrix, & fida auxiliatrix; in terribili autem die judicii ab æterna damnatione me liberans; poſtremò inacceſſæ tui Filii, & Dei gloriæ, me cohæredem efficiens.* Et *S. Germani* Patriarchæ Conſtantinopolitani: (c) *Quæſo, Te*, inquit, *ut in adventu Filii tui, cùm aſſiſtemus omnes judicandi, Tu ut maternam habens*

(a) *Homil. 8. de laud. B.V.* (b) *in Deprec. ad V. Deip.* (c) *ſerm. de Zona.*

bens fiduciam, & magnam potentiam, validâ illâ manu tuâ, ab æterno igne nos eripias. Et deniq; *Richardi à S. Victore*, ità de *Deipara* pronunciantis: *Mariam Matrem miſericordiæ quæramus & ſperem⁹ in porta judicii miſericordiam.* Quô loci alludit ad veterem morem Hebræorum, qui non intra mœnia, ſed in portis Urbium judicia exercebant; & devotis *Mariæ* Clientibus accommodat illud Vatis Regii: (*a*) *Non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta*: ſubintellige, *judicii*. Nec ſanè immerito. Eſt enim *Deipara*, teſte D. *Ambroſio*, (*b*) *Beata Rachel*, quæ, *ſicuti olim Rachel uxor Jacobi* (*c*) *abſcondit Idola patris ſui, ità ipſa abſcondit errores, cultúſque Gentilium, imò & alia peccata quæcunque mortalium ad ipſam cum fiducia recurrentium.* Ut proindè poſſit ſincerus, & devotus Deiparæ Cliens omnibus Eccleſiæ Sacramentis, ejuſdem interventione obtentis, ritè expiatus Cacodæmoni, ſe ſe de præteritorum peccatorum conſcientia arguenti, & ad Divinum Tribunal, ſub animæ è corpore egreſſum, provocanti, ſecurus reſpondere, quod *Labano* ſocero ſuo de Idolorum furto ſe ſe arguenti reſpondit Patriarcha Jacob: (*d*) *Scrutare quidquid tuorum apud me inveneris, & ſi quid inveneris, necer coram fratribus meis.*

Ex quibus ſat clarè patet, poſſe valdè probabiliter affirmari, & dici SS. Patres per Judicium, in quo Deiparæ auxilium, & patrocinium implorârunt, intellexiſſe ſupremum vitæ cum morte conflictum, ſeu agonem poſt quem immediatè ſequitur Judicium, eo ſenſu, quo Animadverſione ſuprà adductâ dixi certa, aut paulò pôſt futura, ſumi pro exiſtentibus de præſenti. In Agone namque ſolere intervenire multas, & graves accuſationes, non ſolùm Dæmonum nos tentantium, verùm etiam propriæ Conſcientiæ, oſtendunt luctæ, & anguſtiæ, quibus non ſolùm peccatores, verùm etiam probi & juſti (prout patet in exemplo S. Hilarionis Abbatis (*e*) morti proximi ad ſudorem uſque fatigantur. Indicante hoc ipſum quoad peccatores Gentium *Doctore Paulo* (*f*) dum ait; *Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis Conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*: in die cùm judicabit Deus occulta hominum. Tunc autem, vel maximè opus erit nobis auxilio & defenſione Deiparæ, ut in tam periculoſa & ancipiti inter ſpem & metum pugna, non ſuccumbamus, ſed de hoſtibus noſtris, tam internis quàm externis, cum firma ſalutis æternæ fiducia palmam victoriæ reportemus. Pro qua gratia obtinenda potiori jure, quàm S. Michaëli Archangelo *Deipara* inclamare poſſumus: *Sancta Maria defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.* Rectè namque, & eruditè obſervavit inſi-

 gnis

(a) *pſalm.* 126. (b) *lib. de Iacob.* (c) *Geneſ.* 31. (d) *ibid.* (e) *Breviar. Rom. ad diem* 21. *Octob.* (f) *ad Rom.* 2.

gnis novi Teſtamenti Commentator, idémque *Pauli III. & Pii IV.* in Concilio Tridentino Theologus *Alphonſus Salmeron* è *Societate Jeſu* : *Ob id, quòd Chriſto naſcenti, & morienti Maria comes adſtitit, digna facta eſt, ut Filiorum Dei generationem tanquam Mater pientiſſima foveat, atque morti noſtræ, in qua Deo per gloriam naſcimur, ſingulariter ſuccurrat.* Unde meritò *S. Ephrem Syrus* orationem ſuam in laudem *Deiparæ* habitam, concluſit his verbis : *Adeſto mihi nunc, & ſemper ô Virgo Dei Genitrix, hoſtiles quoſcunque impetus à me avertens, & in via ſalutis me conſtituens, ac in extremo vitæ articulo miſeram meam animam conſervans.* Et Seraphicus Doctor Bonaventura (*a*) *In exitu*, inquit, *animæ meæ de hoc mundo, occurre illi Domina, & ſuſcipe illam. Conſolare eam vultu ſancto tuo. Aſpectus Dæmonum non conturbent illam. Eſto illi ſcala, & iter rectum ad paradiſum Dei. Impetra illi à Patre indulgentiam pacis & ſedem lucis inter ſervos Dei. Suſtine devotos ante Tribunal Chriſti, ſuſcipe cauſam eorum in manibus tuis.* Sapientiſſimus item & eruditiſſim⁹ Theologiæ Profeſſor ac Magiſter, *Martinus* de *Magiſtris*, *Deiparam* alloquens: *Nos*, inquit, *idcircò advocationem tuam devotis expoſcimus affectibus, ut ſeveriſſimi Judicis oculis noſtra pauliſper non obiiciantur crimina, donec piiſſimo tuæ pietatis intuitu, quæ pro his meremur ſupplicia fueris deprecata.* Sed & Ego indigniſſimus Deiparæ Clientulus eidem ad extremum uſque animæ in corpore commorantis halitum, inclamare non deſinam cum Eccleſia: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Tu me ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.* Si enim potuit Pſittacus, (ùt autor eſt *Hadrianus Lyræus*) unguibus rapacis accipitris arreptus, ingeminando has voces: *Sancta Maria ſuccurre miſeris*, quas edoctus fuerat, ſalvus evadere, quidni ſperem, & ego, me miſerum Graculum, ex infeſtis avernalium accipitrum, & milvorum unguibus, inclamato Deiparæ patrocinio, incolumem evaſurum, cùm ipſamet dixerit D. Brigittæ: (*b*) *Sicut avis quæ in prædam ungues & roſtrum intentum habet, ſi audierit ſonum aliquem, relinquit prædam, ſic Dæmones audito nomine meo, ſtatim animam, quaſi territi relinquunt.* Et *D. Bernardi* Sententia eſt: *Non ità timere hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicuti timent aëreæ poteſtates hoc vocabulum MARIA.* Ipſa verò ſacra Orthodoxa Eccleſia, cujus, uti ſenſum in omnibus nos ſequi profitemur, ità & hìc ejus autoritate fulcimur, dum ipſa plenarias Indulgentias Religioſis omnibus, pluribúſque aliis de Clero, Populo, & devoto fœmineo ſexu, in ipſo articulo mortis, adeóque in porta judicij Divini concedit invocantibus ſacratiſſimum nomen non tantùm JESU, ſed & MARIÆ, quam & ore Catholico, & Univerſali etiã invocat, implorátque illis verbis:

(a) in Pſalt. V. (b) l. 1. Revel. c. 9.

bis : *Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu,* & non utitur vocabulo, quo Anonymus, meri alicujus *ſupplementi*, & nil præ cæterorum SS. ope beneficii importantis. Sed de hoc plura Animadverſione ſequenti.

ANIMADVERSIO XVIII.

An ſicuti Sanctiſſimum Nomen JESU, ità etiam MARIÆ, habeat virtutem agendi ex opere operato.

ANimadvertendum *Decimooctavò*, Probabile eſſe, quod docent nonnulli Theologi innitentes verbis Chriſti apud D. Marcum : *In Nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit &c.* Sanctiſſimum *Nomen JESU* habere ex inſtitutione Divina, ſpecialem quandam virtutem conferendi aliquas gratias, tum ſpirituales, tum corporales, ex opere operato ; non quidem infallibiliter ſicuti *Gratiam Habitualem* in non ponentibus obicem operantur *Sacramenta novæ Legis*, ſed contingenter : prout ſcilicet noſtræ aliorúmque ſaluti expedit, ſicuti ſimili ratione *ex opere operato* certas gratias (juxta D. Thomam & Theologos) conferunt, & operantur nonnulla Sacramentalia, puta *Exorciſmi*, *Aqua luſtralis*, *Panis benedictus*, & ſimilia. Ratio autem quaſi à priori ità magnificè de Sanctiſſimo Nomine JESU ſentiendi eſt : quia illud dicitur à Theologis fieri ex opere operato, quod ex inſtitutione Divina conſequitur, ſeu fit præcisè ex vi rei adhibitæ, vel operis hìc, & nunc exerciti, citra ullam, aut ſaltem ſuprà agentis, & patientis diſpoſitionem : qualiter ex opere operato per ſerpentem æneum à Moyſe fabricatum ſanatos fuiſſe in deſerto Hebræos læſos à Serpentibus: (*a*) Naaman Syrum per aquas Jordanis mundatum à lepra : (*b*) per lutum quod fecit Jeſus, & aquam Siloë illuminatum cœcum, (*c*) communis eſt S. Scripturæ Interpretum ſententia. Cùm igitur ex innumeris exemplis pateat, & propè quotidiana experientia demonſtret, Sanctiſſimum Nomen JESU, à quocunque ſive Fidelis ille fuerit, ſive Infidelis, (quod de ſigno Crucis, quo ſe Judæus quidam contra Dæmonis invaſionem ſignáſſe narratur, ſat vulgatum eſt abſcedente Dæmone, & dicente : *vas vacuum, ſed ſignatum*) devotè & reverenter pronunciatum, fugare Dæmones, tentationum æſtus mitigare, morbos depellere, & multa alia præter aut etiam ſupra naturæ vires operari, poſſumus prudenter coniicere ipſum habere virtutem quandam ſalvificam ex opere operato.

(*a*) *Num.* 21. (*b*) 4. *Reg.* 5. (*c*) *Ioan.* 9.

Digitized by Google

rato. Quod etiam non obſcurè indicâſſe videtur D. *Ambroſius*, dum *Nominis Jeſu* excellentiam attollens (*a*) *Chriſti*, inquit, *nomen tibi munificum, tibi fructuoſum, tibi tributa dependit; & bona tributa non pecuniæ, ſed gratiæ.* His porrò ſuppoſitis videor mihi non incongruè facturus, ſi non obſtante Autoris Anonymi in amplificanda Deiparæ gloria parcitate, idem analogicè, quod de Sanctiſſimo *Nomine JESU* immediatè retuli, ad venerandum quoq; MARIÆ nomen extendero, & eidem non multùm abſimilem, quædam ſupra ordinarias naturæ vires ex opere operato efficiendi virtutem, accommodâro. Invitant enim me ad ità ſentiendum non tantùm illud Salutationis Angelicæ: *Dominus tecum, & gratiâ plena*; unde nunquam Maria ſinè Jeſu, & nunquam ſinè gratia Dei, de cujus plenitudine accipimus beneficia ſaluti Animæ proficua: verùm etiam non pauca Sanctiſſimorum, & graviſſimorum *Patrum* teſtimonia, qui ſe divinum aliquid, & humanis viribus majus in Auguſtiſſimo *MARIÆ* Nomine reperire, diſertis verbis profitentur. Quorum ut pauca ſolùm de multis afferam: D. *Methodius* magni inter Græcos Patres nominis Præſul, & Martyr (*b*) Tuum, inquit, *Dei Genitrix nomen divinis benedictionibus, & gratiis omni ex parte refertum eſt.* D. *Anſelmus*: (*c*) *Sæpe vidimus, & audivimus plurimos hominum in ſuis periculis recordari nominis Beatæ Mariæ, & illicò omnis periculi malum evaſiſſe.* D. *Germanus*: (*d*) *Maria nequiſſimi hoſtis contra ſervos ſuos invaſiones, ſolâ ſui nominis invocatione repellit, & tutos, atque incolumes ſervat.* Et iterum Virginem alloquens: *Sanctiſſimum nomen tuum, quod in ore Servorum tuorum verſatur aſſiduè, vitæ, lætitiæ, & auxilii non ſolùm eſt ſignum, ſed id etiam procurat,* & *conciliat.* D. *Bernardus*: (*e*) *Non ità*, inquit, *timent hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicuti aëreæ poteſtates hoc vocabulum MARIA.* Seraphicus quoq; Doctor *Bonaventura*: *Celeberrimum*, ait, *Nomen eſt MARIA! Et quomodo non celeberrimum, quod etiam devotè nominari non poteſt ſinè nominantis utilitate?* ſed & Doctiſſimus ſimul & Sanctiſſimus *Idiota*: (*f*) *MARIÆ nomen ſupra omnia Sanctorum nomina reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat feſſos, ungit Antagoniſtas, & jugum Diaboli extrudit.* Omnium denique efficaciſſimè, & affectuoſiſſimè idem declarat, & fructus ſpirituales, qui ex devotè pronunciato nomine MARIA, in nos redundant, enumerat *P. Alanus à Rupe Cardinalis*, ità MARIÆ Clientes alloquens: (*g*) *Auſcultet ſancti nominis tui amator ô MARIA! Cælum gaudet, omnis terra ſtupet, cùm dico:* Ave Maria. *Creſcit devotio, oritur Compunctio, cùm dico:* Ave Maria. *Spes proficit, augetur conſolatio, cùm dico:* Ave Maria. *Recreatur animus & in bono confortatur æger affectus, cùm dico:*

(a) *in Pſalm.* 118. (b) *Orat. in Hyp.* (c) *de laud. V. c.* 12. (d) *ſerm. de Zona.* (e) *in ſent.* (f) *de Contemplat. c.* 5. (g) *in pſalt. c.* 70.

dico: Ave Maria: Multùm etiam hiſce circa Mariani Nominis efficaciam SS. Patrū teſtimoniis ſuffragatur, id quod ſibi in ſermone Angelico(*a*) cœlit⁹ inſinuatū refert *D. Brigitta* his verbis: *Illam*, (intellige Deiparam) *ſic Deus potentem effecit, ut quotieſcunque maligni Spiritus aliquem hominem MARIÆ auxilium ex charitate implorantem impugnaverint, ad ipſius Virginis nutum illicò pavidi, procul effugiant, volentes potiùs pœnas ſuas, & miſerias ſibi multiplicari, quàm MARIÆ potentiam ſuper ſe totaliter dominari.*

Nè autem in præſenti argumento ſoli autoritati *SS. Patrum*, quam fortè penſi non habebit *Autor Anonymus*, innitar: Confirmo id ipſum, 1. eodem argumento, quo quaſi à priori virtutem operativam ex opere operato in Sanctiſſimo Nomine *JESU*, aſſerûi, initio hujus Animadverſionis. Si enim mirabiles, & non ſoliti effectus, quos enunciato, aut alio modo devotè adhibito Sanctiſſimo JESU Nomine, citra ullam agentis, & patientis diſpoſitionem conſequi perſpicimus, arguunt in eo vires, & virtutem activam *ex opere operato*; congruum eſt, ut quid ſimile dicamus de Auguſtiſſimo Nomine MARIÆ, quod tot, & tantis prodigiis Deus per Filium ejus paſſim glorificat & exaltat. Confirmo 2. quia complures doctiſſimi & eruditiſſimi Viri, inter quos *Cajetanus*, *Ledeſma*, *Lopez*, *Corduba*, *Medina*, & alii citati *à Thoma Sanchez* (*b*) inter Sacramentalia, quibus non pauci Doctores tribuunt virtutem agendi ex opere operato, numerant etiam Orationes Eccleſiæ, eas præcipuè, quæ recitantur in Miſſa, & Officio Divino. Cùm ergò in his accenſeatur ſacrum *Nomen MARIÆ*, velutà tacita quædam ejus Clementiæ imploratio; mirum videri non debet, ſi etiam ipſum inter *Sacramentalia* aut quaſi Sacramentalia adnumeremus, & virtute agendi ex opere operato condecoremus. Confirmo 3. quia non pauci *SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum*, inter quos *Chryſoſtomus* (*c*) *Hieronymus* (*d*) *Ambroſius* (*e*) *Juſtinus Martyr* (*f*) *Antonius* (g) & alii exiſtimant ſacratioribus nonnullis *S. Scripturæ* textibus, ineſſe ex opere operato virtutem fugandi dæmones, pellendi morbos, amoliendi veneficia, & multa alia ſupra naturam operandi: Ideóque Divus Thomas (*h*) Maldonatus (*i*) Navarrus, Sylveſter, & alii docent licitum eſſe ac laudabile ejuſmodi *Sacræ Scripturæ* textus in membrana, aut charta exſcriptos, de collo ſuſpendere, & venerationis causâ ſecum geſtare; hoc enim olim apud Fideles uſitatum fuiſſe, clarè patet ex *Auguſtino* (*k*) dum ait: *Si ad caput ponitur Evangelium, ut quieſcat dolor capitis, cur ad cor non ponitur, ut ſanetur à peccatis?* A fortiori igitur idem dictu-

(a)*c. 20.* (b)*l. 7. Conſil. c. 2. dub. 10.* (c)*Homil. 3. de Lazaro & Homil. 31 & 36. in Ioan.* (d)*epiſt. 34. ad Iulian.* (e)*l. 4. in Luc.* (f)*Orat. 1. ad Gent.* (g)*titul. 11. de Vid. S. Scri. c. 2.* (h)*22. q. 96. a. 4.* (i)*in c. 1. Ioan.* (k)*tract. 7. in Ioan.*

ri fuiſſent memorati *Patres* de Auguſtiſſimo nomine *MARIÆ*, quod poſt Nomen *JESU*, eſt pretioſiſſimum totius novi Teſtamenti Clenodium, & ornamentum. Addo citra injuriam *SS. Nominis JESU*, etſi non citra invidiam *Autoris Anonymi*, poſſe in certo, & ſano ſenſu, ſed non niſi pro concione hominum Eruditorum dici, & aſſeri, efficaciorem quandoque MARIÆ, quàm JESU invocationem. Si enim potuit Deus citra omne *Chriſti Filii* ſui dilectiſſimi præjudicium ob altiſſimos providentiæ ſuæ fines ità decernere, ut plura, & majora miracula patrarentur per Apoſtolos, & eorum *in Eccleſia* Succeſſores, quàm per ipſum *Chriſtum*: ſuffragante huic diſpoſitioni eodem Chriſto apud D. Joannem: (*a*) *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ Ego facio, ipſe faciet, & majora horum faciet*; quidni ſimile quid aſſerere auſimus, de Sanctiſsimis Nominibus JESU & MARIÆ, comparatis inter ſe. Et habemus nobis in hoc apertè patrocinantem D. *Anſelmum* Cantuarienſem Archipræſulem ità proloquentem: (*b*) *Velocior eſt nonnunquam ſalus, memorato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine Domini JESU Chriſti Filii ſui.* Et id quidem non fit, quòd Ipſa major, & potentior ſit (nec enim ipſe magnus, & potens eſt per eam, ſed illa per Ipſum) ſed quia Chriſtus ſuo nomine vocatus, ſi non exaudit, profectò id juſtè facit: Invocato autem nomine Matris, etſi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Favet etiam huic Sententiæ non parum Doctiſſimus Origenes (*c*) ingenioſè advertens, Deum olim fuiſſe promptiorem ad exaudiendum interpoſitis nominibus amicorum, & Servorum ſuorum fideliſſimorum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, quàm ſinè illis, ut hinc facilè argumentari poſſimus, quid non præſtiturus ſit interpoſito nomine MARIÆ Matris ſuæ ſupra omnes alios amicos, & ſervos ſibi longè dilectiſſimæ. Poteſt proinde hoc tam ſpeciale *Mariani Nominis* privilegium refundi in liberam, ac liberalem *Dei, & Chriſti* matrem ſuam, ſic in ſuo Nomine, honorare volentis, diſpoſitionem. Cùm enim honor ſit (prout eum *ex D. Thoma, & Ariſtotele*, definit *Leonardus Leſſius* (*d*) *Teſtificatio noſtræ opinionis de excellentia alterius verbis aut ſignis exteriùs demonſtrata*: potuitne *Chriſtus Dei, & Mariæ Filius* propriam de Excellentia ſuæ Genitricis exiſtimationem hominibus magìs teſtatam facere, quàm ſi vel ſolùm ejus nomen novis quotidiè ſignis, ac prodigiis decoraret? Si præterea idem *Chriſtus* apertè profeſſus eſt (*e*) *eum, qui ſibi miniſtraverit in terris, honorificandum à Patre ſuo*; quibus non honoribus cœlitus exornari credemus illud miniſterium, quod Beata iſta Domini ancilla ſuo Creatori præſtitit, & amantiſſima Mater Filio perſolvit?

(a) c. 14. (b) *de Excell. V. c. 8* (c) *l. 5. contra Celſum.* (d) *de Iure & Iuſt. l. 2. c. 11. d. 1.* (e) *Ioan. 12.*

vit? Accèperit illum equidem Martha in domum ſuam, & eidem de propriis facultatibus miniſtraverit (*a*) ſed quantilium eſt hoc ad illud, quod Maria Dei Filium intra Virginalis ſui ſinûs penetralia admiſſum, propriâ carne, & ſanguine veſtivit, lacte pavit, laboribus aluit, ſolicitiſſimâ curâ ac ſtudio educavit, individua deniquead ei ſerviendum, & miniſtrandum comes uſque ad ipſam crucem adſtitit, & adhæſit.

Neque velim mihi contra efficaciam Nominis Mariani *ex opere operato* hactenus propoſitam, & propugnatam obiicias; quòd effectus, qui ei adſcribuntur, non ſint certi, & infallibiles, ſed ſæpenumero purè contingentes. Cùm enim virtus operandi *ex opere operato* non fundetur in natura ipſius operis, ſed in ſola libera voluntate, & inſtitutione *Dei & Chriſti*; rectè hinc arguunt Theologi, potuiſſe ipſum juxta Divinæ ſuæ voluntatis beneplacitum, ejuſmodi virtutem alligare aliquibus operibus infallibiliter, uti juxta *Tridentinum* (*b*) patet in Septem Eccleſiæ Sacramentis, ritè, & ſinè obice ſuſceptis; aliis verò tantùm *contingenter*, prout uniuscujuſque ſaluti meliùs expediverit; quà ratione cum *Exorciſmis, aſperſione Aquæ Luſtralis, Pane benedicto*, & aliis *Sacramentalibus*(inter quæ Auguſtiſſimum JESU & MARIÆ nomen adnumero)contingere, conſtans eſt multorum Theologorum opinio. Et ſatisfecit niſi fallor aliqualiter huic objectioni jam pridem ante me aurei oris Doctor *Chryſoſtomus*, quando de ſimili efficacia nominis JESU tractans ità fatur: (*c*) *Morbis imperans terribile eſt hoc nomen. Et ſi non abegeris morbum, non hinc eſt, quòd infirmum ſit hoc nomen, ſed quòd utilis ſit morbus.* Et iterum: (*d*) *Si multi extitêre, qui illo nomine invocato, ſanati minimè fuerunt, accuſare debent modicam ſuam fidem, non verò Nominis infirmitatem.*

(a) *Luc.* 10. (b) *Seſſ.* 7. *can.* 6. & 8. (c) *Homil.* 9. *in Epiſt. ad Coloſſ.* (d) *Homil.* 8. *in Epiſt. ad Rom.*

ANIMAD-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XIX.

Nihil Divinæ Simplicitati, aut Perfectionibus Chriſti præjudicant hæ propoſitiones: Chriſtus eſt Judex Severus : Maria Mater Miſericordiæ. Chriſtus ſibi reſervavit Juſtitiam: Matri commiſit Miſericordiam. *Si ſano & ab Orthodoxa Eccleſia ſemper obſervato ſenſu, utì iſta, ità & antecedentia intelligantur.* Cujus interpretationi, & nos omnia noſtra ſubiicimus, in hoc ſolùm intenti, ut certorum Patrum, & vetuſtæ Pietatis Orthodoxam Veritatem à Novatorum calumniis vindicemus.

ANimadvertendum *Decimonono.* Inter reliqua ſub ementita *Deiparæ* perſona ſpecioſè propoſita *Autoris Anonymi Monita,* contineri etiam iſtud: *Noli dicere, quòd Chriſtus ſit Judex Severus; Ego verò Mater miſericordiæ. Quòd ſibi reſervärit Juſtitiam, mihi commiſerit Miſericordiam. Deus ens ſimpliciſſimum eſt, & indiviſibile.* Quibus verbis apertè innuit ejuſmodi propoſitiones non poſſe ſinè craſſa *Divinæ ſimplicitatis* ignorantia, aut perfectionum, quæ *Chriſto,* tanquam *Deo homini,* competunt, truncatione, ac decimatione *à Fidelibus* uſurpari. Sentit proinde cum *Luthero*, & *Calvino, Deiparam* non poſſe alio ſenſu rectè appellari *Matrem Miſericordiæ,* quàm quòd eſt *Mater Chriſti,* qui propter ſingulare humanæ redemptionis beneficium *à Vate Regio,* & aliis *Canonicis Scriptoribus,* per Antonomaſiam ipſamet Miſericordia compellatur. Verùm ego in his, & ſimilibus Clientum *Marianorum* propoſitionibus, adeò parum nævi, aut culpæ, ſive *Theologicæ,* ſive *Philoſophicæ* reperio; ut exiſtimem, à nemine, nisì livido *Marianarum laudum* Ariſtarcho poſſe jure taxari, & reprehendi. Si enim non obſtante omnimodâ identitate *Divinæ naturæ,* & Perfectionum ſimpliciter ſimplicium, quæ omnibus tribus Perſonis Divinis ſunt communia, *Primæ Perſonæ,* quæ eſt *Pater*, eò quòd habet potentiam operandi ad extra omnimodè incommunicatam ſibi & à ſe, per quandam quaſi Antonomaſiam modo noſtro intelligendi tribuitur *à SS. Patribus, & Theologis, Omnipotentia* : *Secundæ Perſonæ,* quæ eſt Filius, quia procedit per Intellectum omnia perfectiſſimè intelligentem, & comprehendentem, adſcribitur *Sapientia* : *Tertiæ Perſonæ,* quæ eſt *Spiritus Sanctus* quia Originem ſuam

am ſumit à voluntate, omnis boni fonte, & origine, appropriatur *Bonitas*; quid vetabit Chriſtum, de cujus tanquam rigidiſſimi Judicis ore (uti videre eſt apud *Joannem* Apocalypticum) *procedit gladius* (*a*) *utrâque parte acutus*, & qui apud Pſaltem Regium (*b*) comminatus eſt *ſeipſas quoque Juſtitias judicaturum*, appellare *Judicem ſeverum*; præſertim cùm in Evangelio ſe homini auſtero comparet, qui metit, ubi non ſeminavit, Deiparam autem, in qua juxta melliſluum Doctorem *Bernardum*: (*c*) *Nihil auſterum, nihil durum; ſed omnia plena pietatis, & gratiæ; plena manſuetudinis, & miſericordiæ*, nominare *Matrem miſericordiæ*. Putáſne ergo, *Autor Anonyme*, novo, & ſpeciali crimine læſæ Majeſtatis obſtringendum aliquem reum, qui delicti ſui probè conſcius, ſed Regii Tribunalis rigorem expaveſcens, ad Matrem ejuſdem à Clementia, & in miſeros, ac multorum ſcelerum reos benignitate toto orbe famoſiſſimam, ſe ſe converteret, eique libellum ſupplicem porrigeret, titulo *Matris Miſericordiæ* inſcriptum? Audi, ſi lubet, qualiter hanc propoſitionem: *Chriſtus eſt Judex Severus, Maria Mater miſericordiæ*, à Te in præſentiarum improbatam, olim propugnaverit, & metûs ac reverentiæ plenam à *Chriſto* tanquam *Severo Judice* timidorum Peccatorum averſionem, fiducialem autem ad Deiparam tanquam Matrem miſericordiæ converſionem exculpaverit, & in benignam partem interpretatus fuerit ſuprà citatus Claræ vallenſis Abbas *Bernardus*: (*d*) *Fidelis*, inquit, *planè, & potens Mediator Dei & hominum homo Chriſtus JESUS, ſed divinam in eo reverentur homines Majeſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem humanitas; non quòd mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio Deificata. Non ſola illi cantatur miſericordia, cantatur pariter & judicium: quia etſi didicit ex iis, quæ paſſus eſt, compaſſionem, ut miſericors fieret; habet tamen, & judiciariam poteſtatem. Denique Deus noſter, ignis conſumens eſt; quidni vereatur Peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei. Jam itaque nec Ipſa mulier benedicta in mulieribus videbitur otioſa. Invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus eſt enim Mediatrice ad hunc Mediatorem, nec altera nobis utilior, quàm Maria.* Sed neque illa propoſitio: *Chriſtus reſervavit ſibi Juſtitiam; Deipara commiſit miſericordiam*, ità ratione, & autoritate deſtituta eſt, ut non habuerit ſibi jam olim apertè patrocinantem Sapientiſſimum, & Chriſtianiſſimum Doctorem *Joannem Gerſonem Cancellarium Pariſinum* (*e*) ad illud pſalmi: *ſemel locutus eſt Deus: Duo hæc audivi: quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*, ità ratiocinantem: *Poteſtate Domino remanente, ceſſit quodammodo miſericordiæ pars Chriſti Matri, Sponſæq; regnanti. Hinc ab Eccleſia tota Mater miſericordiæ ſalutatur.*

(a) *Apoc.* 1. (b) *Pſalm.* 74. (c) *Serm. de Verb. Apoc.* (d) *ſuprà.* (e) *Tract.* 4. *ſuper Magnif.*

Digitized by Google

tatur. Et firmat hoc ipſum haud parum D. Brigitta (*a*) aſſerens ſe in quodam mentis exceſſu, & ad intimiora Cœlorum penetralia admiſſu, audiviſſe Deiparam in hæc verba cum Chriſto colloquentem : *Fili mi; quia Miſericordiam Ego à te conſecuta ſum, ideò miſericordiam, & auxilium peto miſeris.* Quod non malè interpretabere, ſi dixeris, ſensū eſſe: *Quia Tu Fili mi commiſiſti mihi miſericordiam; mearum partium eſſe judico, omnibus egenis, & afflictis, de gratiarum tuarum theſauro, ſuccurrere & providere.* Ex quibus colligere eſt, non fuiſſe operæ pretium, ut Autor Anonymus, quæſitis undecunque non tam argumentis, quàm figmentis, Fideles à tribuendo Deiparæ titulo Matris Miſericordiæ (prout ſonat *Dominam, vel Heroinam benigniſſimam, & ad ſuccurrendum miſerorum neceſſitatibus ſpeciali Dei providentiâ,* ac electione ordinatam) conaretur avertere, & Lutheri ac Calvini partibus in hoc puncto adhærere. Hoc namq; ſenſu multis, antequam *Autor Anonymus* fallacia ſua *Monita* ſomniaret, aut cuderet, ſæculis, Deiparam tanquam Matrem miſericordiæ ſalutàrunt *S. Petrus Damiani* (*b*) *S. Anſelmus* (*c*) *S. Ephrem* (*d*) *S. Ildephonſus*, *D. Andreas Cretenſis*, *Bernardus*, & alii in tota Eccleſia laudati & celebrati Patres: ſed & ipſam Deiparam titulo Matris Miſericordiæ propter propenſiſſimam ſuam ad miſeris, & calamitoſis ſubveniendum ac miſerendum voluntatem, magnoperè delectari, patet ex variis ejuſdem Apparitionibus, & Revelationibus. Sic namque (ſi quæ probatiſſimis quibuſque hiſtoriis fides eſt) ſe interpellare docuit *S. Dominicum* apud *Theodoricum de Apoldia* (*e*) Sacram *Carthuſianorum Familiam* gravibus Dæmonum tentationibus afflictam apud *Petrum Dorlandum* (*f*) Religioſos Ordinis Cluniacenſis apud *Scriptorem* vitæ *S. Odilonis* ejuſdem inſtituti Abbatis: *S. Brigittam Suedicam* apud Ludovicum Bloſium & alios. Et favent etiam *Annales Gallici* apud *Hadrianum Lyraum* è Societate JESU (*g*) referentes primam Eccleſiam à Chriſtianis ibidem graviſſima Tyrannorum perſecutione afflictis, & ad Deiparæ Patrocinium confugientibus, non procul ab Urbe Pariſiorum conſtructam, quæ modò *Mons Martyrum* dicitur, fuiſſe primitus: *Beatæ Virginis à Miſericordia*, nuncupatam. Nihil porrò vereatur *Autor Anonymus* nè prima *SS. Trinitatis* Perſona, quæ ab Apoſtolorum Principe *Petro* (*h*) propter ingentia in genus humanum beneficia, per quandam excellentiam nuncupatur: *Pater miſericordiarum, & Deus totius Conſolationis, Deiparam* à correlativo *Matris Miſericordiæ*, aut (quod eòdem recidit) *Miſericordiarum* excludat; neque enim hunc titulum ei invidebit, qui (quod longè pluris eſt) ipſam ejuſdem Filii, cujus ipſe ab æterno eſt Pater per eſſentiam, Matrem in tempore fieri,

(a) *l. 2. Revel. c. 9.* (b) *Serm. 3. de Nativ. V.* (c) *Alloq. Celeſt. 22.* (d) *in Depreс. ad Deip.* (e) *l. 7. c. 13.* (f) *l. 5. hiſt. Carth. c. 5.* (g) *l. 2. Triſagii Mariani.* (h) *2. Cor. 1.*

ri, non fuit dedignatus. Ut verò hactenus dicta non ſolùm ab autoritate, aut ſolis congruentiis, verùm etiam à ratione majus robur, & firmamentum accipiant; Obſervandum eſt *Virtutem Miſericordiæ*, cujus Matrem per Antonomaſiam dici volumus *Deiparam*, definiri *à Doctore Angelico* (*a*) ex doctrina *D. Auguſtini*: (*b*) *Quòd ſit alienæ miſeriæ quædam in corde noſtro compaſſio, quâ proximo indigenti, ſi poſſumus compellimur ſubvenire.* Quæ doctrina, ſi bene advertatur, nemo eſt opinor, qui non advertat Deiparam non ſolùm Matrem miſericordiæ, verùm etiam ipſiſſimam Miſericordiam poſſe à Nobis appellari, ob intimam, & cordialem ejuſdem cum miſeriis noſtris compaſſionem, & indigentiæ noſtræ ſubveniendi propenſiſſimam voluntatem, quam tot elogiis, & teſtimoniis toto orbe deprædicârunt, & etiamnum deprædicant, præcipui quique *SS. Patrum & Doctorum.* Et ut paucos ex multis delibem: *Quis miſericordiæ tuæ* (exclamat mellifluus (*c*) *Bernardus, ô benedicta, longitudinem, latitudinem, & profundum queat inveſtigare? Nam longitudo ejus, uſque in diem noviſſimum, invocantibus eam, ſubvenit univerſis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ita, ut tuâ quoque miſericordiâ plena ſit omnis Terra. Sic & Sublimitas ejus Civitatis ſupernæ invenit reſtaurationem, & ſedentibus in tenebris, & umbra mortis invenit redemptionem. Sileat proinde miſericordiam tuam Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam Te in neceſſitatibus ſibi meminerit defuiſſe.* Et *D. Germanus Patriarcha Conſtantinop*: (*d*) *Non eſt ulla Satietas tuæ defenſionis, non eſt numer⁹ tuorum beneficiorum.* *Richardus* quoque *à S. Victore* (*e*) *Sicuti*, inquit, *ubicunque fuerit corpus, ibi congregantur & aquilæ: ita, ubicunque fuerit miſeria, tua currit, & ſuccurrit miſericordia.* Alter item *Richardus à S. Laurentio* (*f*) accommodans Deiparæ illud ſponſæ encomium: (*g*) *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Habet*, inquit, *illa, id eſt Maria, manus non ſolùm auro, ac hyacinthis, innumeriſque aliis gratiarum gemmis cœlique donis refertas, verùm etiam tornatiles, celeres, expeditas, atque ad communicanda cœleſtia munera expeditiſſimas, maximè iis, qui ipſius honoris, gloriæque amplificandæ Zelo exardeſcunt.* Sed & Hugo Victorinus, *Maria*, inquit, *non poteſt miſerias noſtras ſcire, & non ſubvenire.* Similia habent alii Deiparæ prædicatores & Encomiaſtæ. Hujus autem tam magnifici SS. PP. & Eccleſiæ Doctorum de Deiparæ miſericordia ſenſûs, fundamentum eſſe videtur doctrina, quam ex ſolidiſſimis fundamentis tradit *Doctor Angelicus* (*h*) videlicet, eundem eſſe *Habitum Charitatis*, quo amatur *Deus propter ſe, & proximus propter Deum.* Cùm igitur Beatiſſima Virgo, propter intenſiſſimum *Habitum Charitatis* fuerit, & ſit ſummè inclinata ad amandum *Deum propter ſe*, manifeſtè

(a) 22. q. 30. a. 1. (b) l. 9. de Civ. (c) Serm: 4. in Aſſumpt. (d) Serm. de Zona V. (e) in c. 6. Cant. (f) l. 2. de laud. V. (g) Cant. 5. (h) 22. q. 25. a. 1.

ſtè ſequitur, eam etiam eſſe, & fuiſſe propenſiſſimam ad amandum *proximum propter Deum*: eique ſuccurrendum & opitulandum. Quod eleganti ſimilitudine ferri igniti mihi declaraſſe viſus eſt *D. Ildephonſus* Toleti Archiepiſcopus (*a*) his verbis: *Sicut*, inquit, *ignis ferrum adeò incendit, ut ignis eſſe videatur: itàſimiliter Spiritus S. Virginem adeò decoxit, & ignivit, ut in ea Spiritus S. flamma tantùm videatur, nec ſentiatur, niſi ignis amoris Dei & proximi*; quod confirmans *D. Bernardus*, (*b*) *Quis*, inquit, *dubitare poteſt in affectum Charitatis tranſiviſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ eſt Deus, Charitas novem menſibus corporaliter requievit*? Si etiam juxta *D. Gregorium Nazianz*: *Nihil ità divinum habet homo, quàm aliis benefacere*; non poteſt non *Deipara* eſſe in nos beneficentiſſima, quæ ipſum Deum intra ſua viſcera comprehendit. Ex quo non malè poſſes inferre, non habuiſſe in *Deipara* locum commune proverbium: Quòd: *Partus ſequatur ventrem, & Filii*, ut plurimùm *matrizent*; nam in ea contrarium prorſus accidit, ſiquidem *non partus ventrem, ſed venter partum ſecutus fuit*. Ut proinde non immeritò Deiparæ maternitatem extollens exclamaverit mulier illa Evangelica: (*c*) *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*. Neque malè ratiocinatus fuerit *Richardus à S. Laurentio*: (*d*) *Cùm Maria miſericordiam genuerit, quid aliud eſt ejus uterus, quàm Miſericordiarum theſaurus*?

ANIMADVERSIO XX.

Autor Anonymus fruſtrà damnat hanc propoſitionem: Non datur aditus ad Deum per Chriſtum ſine Deipara.

ANimadvertendum *Vigeſimò*. Non eſſe alienum *à Fide aut rectâ ratione*, ſentire vel aſſerere: Quidquid donorum, & gratiarum ſupernaturalium ad ſalutem æternam neceſſariarum, aut conducentium *ſuâ Paſſione, & morte* nobis *Chriſtus* promeruit, id totum ſpectatâ præſenti DEI providentiâ, & Decretorum ordine, commiſſum eſſe diſpenſationi & arbitrio Deiparæ; adeóque poſſe citra periculum manifeſti erroris (ſecùs ac in ſuis *Monitis* docet *Autor Anonymus*) ſuſtineri ac defendi, hanc nonnullorum *Marianorum Clientum* propoſitionem: *Non datur aditus ad Deum per Chriſtum, ſine favore, & interventione Deiparæ*. Audax fateor, & propè temeraria videri poſſet Viris etiam non indoctis hæc aſſertio, niſi graviſſima multorum SS. Patrum tum Latinorum tum Græcorum autoritate, & rationibus etiam non incongruis,

gruis,

(a) *Serm: de Aſſumpt*: (b) *ſuprà*. (c) *Luc*. 1 3. (d) *ſuprà*.

gruis, niteretur, ac ſulciretur. Hanc namque doctrinam in terminis non obſcuris tradunt: 1. *D. Bernardus* (*a*) Archimandrita *Claravallenſis* ſermone de aquæ ductu; ubi poſteaquam ex *D. Chryſologo Ravennatium Archipræſule* (qui ipſum pluribus ſæculis anteceſſit) Humanum genus comparâſſet *areæ Gedeonis*, *Deiparam* verò ejuſdem *Velleri*; ſubdit: *Intuere ô Homo conſilium Dei: cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit; redempturus genus humanum, pretium univerſum contulit in Mariam.* Atque ex hoc Antecedenti concludens: *Totis ergò* inquit, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia ſic eſt voluntas ejus, qui NB: totū nos habere voluit per Mariam.* Tradit 2. *D. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus*: (*b*) *Nullus eſt*, ait, *qui ſalvus fiat niſi per Te ô ſanctiſſima! Nullus eſt, qui liberetur à malis, niſi per Te ô puriſſima! Nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per Te ô caſtiſſima! Nemo eſt, cujus miſereatur gratia, niſi per Te ô honeſtiſſima!* Tradit 3. *D. Rupertus Abbas* Tuitienſis (*c*) ità Virginem deprædicans: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt: & ubi erant priùs ſpinæ & vepres & carduus; lappa & tribulus, urtica & paliurus, univerſitas nequitiarum: ibi ſit Cypreſſus, cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula & cinnamomum, myrrha, & aloë; univerſitas gratiarum.* Tradit 4. inter veteres Presbyteros à ſanctitate, & doctrina laudatiſſimus Chryſippus: (*d*) *Salve*, inquit, *radix omnium bonorum, per quam ſuccus ſanctitatis, & gratiæ in omnes transfunditur.* Tradit 5. Eximius, & in ſcribendo, ac docendo circumſpectiſſimus Eccleſiæ Doctor *Hieronymus*: (*e*) *In Chriſto*, ait, *fuit plenitudo gratiæ, ſicuti in capite influente, in Maria verò ſicuti in collo defluente; quia per illam* (prout hunc D. Hieronymi locum interpretatur *Richardus à S. Laurentio* (*f*) *à Chriſto capite omnes gratiarum influxus in reliqua Eccleſiæ membra derivantur.* Tradit 6. *D. Bernardinus* Senenſis (*g*) hæc & ſimilia, non tam ſuo quàm cœleſti ore de Deipara pronuncians: *Omnia Spiritûs S. dona, quibus vult, quando vult, quomodo & quantum vult, per manus hujus Virginis adminiſtrantur. Ab inſtanti enim Incarnationis juriſdictionem quandam, ut ſic dicam, & autoritatem in omnem Spiritûs S. proceſſionem temporalem, obtinuit.* Indicant denique hoc ipſum varii tituli, quibus plerique *Sanctorum Patrum Deiparam* quolibet ſæculo *in Eccleſia* honorârunt. Nam *Græci Patres* apud *Buteonem* (*h*) vocârunt eam *Promptuarium Divinæ Providentiæ*: *D. Methodius*: (*i*) *Promptuarium Divinæ Charitatis. S. Damaſcenus*: (*k*) *Fontem Benedictionis, & omnium bonorum ſcaturiginem. S. Sophro-*

(a) *Serm. 1. de Annunc.* (b) *Serm. de Zona.* (c) *l. 4. in Cant:* (d) *Serm. de Deip:* (e) *Serm: de Aſſumpt:* (f) *l. 2. & 5. de Deip:* (g) *Tom: 4. ſerm: 5. c. 8.* (h) *pag: 126.* (i) *Orat: in Hypa:* (k) *ſerm. 2. de Aſſumpt:*

phronius: (*a*) *Theſaurariam Divinarum gratiarum*. *S. Germanus* ſuprà citatus: *Cataractam, per quam omnis divinæ beneficentiæ imber in nos depluit*. *S. Ambroſius*: (*b*) *Ollam ſpei noſtræ, quæ charitate flagrans, & bulliens ſuaviſſimum cœleſtium chariſmatum ſuffitum in nos exhalat*. Similia habent alii, quorum nonnulli ſapientiſſimè advertunt, Deiparam idcircò fuiſſe à Spiritu S. (*c*) nuncupatam: *pulchram quaſi Lunam*, ut indicaret, quòd ſicuti Luna, præſertim cùm plena eſt, juxta Aſtronomos, Solis & reliquorum Planetarum influxus in ſe recipiens, eoſdem in hæc inferiora dirivat, eiſque ſubminiſtrat; ſic *Mater illa* omnium gratiarum plena, cœleſtes gratias, quas à ſupernis fontibus per diverſos canales haurit, largitur hominibus, juxta proprium uniuſcujuſque ſe ſe cum fiducia invocantium devotionem, & diſpoſitionem. Favet etiam tam magnificæ SS. Patrum de Excellentia Deiparæ, æſtimationi, & doctrinæ hactenus traditæ, ratio non contemnenda, quam inſinuat Doctiſſimus, & Deiparæ cultûs ſtudioſiſſimus P. Franciſcus Suarez è Societate Jesu. (*d*) Quia ſcilicet non eſt indecens Deum retento ſupremo, tam phyſico quàm morali dominio in omnes res creatas tam naturales quàm ſupernaturales, earum adminiſtrationem & diſpenſationem committere alicui amicorum, aut ſervorum ſibi ſpecialiter dilectorum, ad eum ſic magis apud homines honorandum, & glorificandum; inſinuante hoc ipſomet *Chriſto* apud *D. Matthæum* (*e*) in parabola *ſervi fidelis, cui Dominus promittit*, *quòd ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. Cùm ergò inter omnes *Dei ſervos & amicos*, *nemo Chriſto Filio Dei dilectior*, *nemo in miniſtrando fidelior*, *nemo hoc honore dignior*, *quàm Sanctiſſima ejuſdem Genitrix Maria*; cur non dicamus, eam hoc modo fuiſſe ab ipſo honoratam & glorificatam? Neque enim verendum eſt, quod vereri ſe fingit *Autor Anonymus*, nè ſic concredita Deiparæ gratiarum cœleſtium, de infinito meritorum *Chriſti* theſauro, diſpenſatio, cedat in aliquod Divinæ gloriæ detrimentum; novit enim ſupremus omnium bonorum Dominus, & Paterfamilias, ab hac Oeconoma nihil niſi cum majore ſuæ, & Filii ſui gloriæ emolumento, fore in alios diſpenſandum. Et nunquid non defactò (utì præclarè advertit *Hypponenſium Præſul Auguſtinus* (*f*) *Deus* ſanctos & amicos ſuos ſic honorat, ut diverſos diverſarum gratiarum, tam ſpiritualium, quàm corporalium, videatur conſtituiſſe quaſi *diſpenſatores*? Hac namque ex cauſa pro obtinenda felici morte ſpecialiter oramus *DD. Joſephum & Barbaram*; contra ſævientem peſtilentiam imploramus *SS. Rochum, Sebaſtianum, & Roſaliam*: pro impetrando felici partu, ſuademus puerperis vota & preces ad DD. Cœlorum indigetes *Ignatium, & Cajetanum*:

(a) *Serm. de Aſſumpt.* (b) *l. de inſtit. V. c. 3.* (c) *Cant. 4.* (d) *Tom. 2. in 3. p. d. 23. S. 3.* (e) *c. 24.* (f) *Epiſt. 137.*

nùm ad mitigandum aut penitus tollendum immanem dolorem dentium, patronam nobis adſciſcimus D. Virginem & Martyrem *Apolloniam*; in adjutorium rerum fortuitò deperditarum, advocamus S. *Antonium Paduanum*, contra calculum invocamus S. *Liborium* & alios. Varia denique beneficia à variis *Sanctis ſpecialiter expoſcimus*, & eorum opem devotiſſimis precibus ac obſequiis efflagitamus. Cujus ratio quaſi à priori eſſe videtur, quòd licet Deus ſit de ſe ad nobis benefaciendum paratiſſimus, poteſt nihilominus ex variis, iiſque honeſtiſſimis motivis, nolle ſua bona nobiſcum communicare, niſi accedentibus aliorum pro nobis precibus, & interceſſionibus; prout ab exemplo Abrahami, & Abimelechi (a) & ex Hiſtoria Jobi (b) eruditè probat ſuprà citatus *Franciſcus Suarez*. Undè non immeritò *Concilium Tridentinum* (c) & cum eo plerique *Doctorum*, plurimis laudant, & commendant *Cultum & Venerationem Sanctorum*, non ignari potuiſſe contingere, ut Deus, ob altiſsimos ſuæ Providentiæ fines, decreverit ſpecialia auxilia gratiæ, ſinè quibus, uti docet immediatè citatum Concilium (d) adulti, ratione utentes, gratiam acquirere, & in illa diu perſeverare non poſſunt, non conferre niſi intercedentibus pro iis aliorum, ſive jam in cœlis, ſive etiamnum in terris degentium *Servorum, & amicorum Dei precibus*. Id quod etiam inſinuâſſe viſus eſt *D. Jacobus* (e) cùm nos hortans, ait, *Orate pro invicem, ut ſalvemini*; & Moyſes quamdiu extendebat manus, & orabat, tamdiu vincebant Iſraëlitæ, cùm ceſſaret, cædebantur. Nunquid non voci hominis obedivit quodammodo Deus, quando Joſue imperante Soli, ut ſtaret, Deus Solem ſtitit? Nunquid non in novo Teſtamento quotidiè multis millenis vicibus, ad Sacerdotis verba Conſecrationis, Chriſtus homo Deus miraculum miraculorum patrat, & ſub ſpeciebus panis, & vini ſe ſe nobis communicat? profectò ſub prætextu periculi diminutionis gloriæ Dei reſultaturi ex incremento gloriæ Deiparæ, valdè lubricis incedit paſsibus; nam ex ipſius principio deduci poſſet, dedecuiſſe Deum ordinare, ut homini peccatori, quia Viatori, tanta daretur poteſtas, ut quodcunque ligaret, aut ſolveret ſuper terram, foret ſolutum, aut ligatum etiam in Cœlis; & hoc eſt quod ſuperbia omnium hactenus Heterodoxorum, ſive directè, ſive indirectè impugnavit. Quidquid porrò hactenus de diſpenſatione, & adminiſtratione gratiarum Spiritualium reſpectivè ad Deiparam dictum fuit; idem à potiori intelligendum venit de gratiis *materialibus* ſeu *corporalibus*; ſunt enim longè inferioris ordinis, & penè quotidiana, quæ apud *Thaumaturgas* hujus SS. *Virginis* ſtatuas, & icones, patrantur miracula, id ipſum nobis liquidò de-

(a) *Geneſ.* 20. (b) *c.* 24. (c) *Seſſ.* 25. (d) *Seſſ.* 6. *de juſt.* c. 22. (e) *c.* 5.

demonſtrant: adeò ut incredulis, & de ejuſdem Deiparæ apud Deum potentia ambigentibus, atque inter diverſas cogitationum inter ſe altercantium diſputationes, ex ea quaſi quærentibus: *Tu quæ es?* ex ſuis Thaumaturgis iconibus reſpondere poſſit, quod in non multùm diſſimili occaſione *Diſcipulis Joannis* reſpondit *Chriſtus. Ite; renunciate, quæ audiſtis, & vidiſtis: cæci vident, claudi ambulant, pauperes evangelizantur*; & *beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Noli ergò per Deum immortalem te obſecro! in ferventiori, qui hoc ſæculo invaluit Deiparæ Cultu, ſcandalizari *Autor Anonyme, ut Beatitudinem, & vitam æternam, quæ ipſam elucidantibus promiſſa eſt*, feliciter conſequaris.

ANIMADVERSIO XXI.

Deiparæ debetur Cultus Hyperduliæ à Cultu Duliæ, qui aliis Sanctis exhibetur, ſpecie eſſentiali diſtinctus.

ANnimadvertendum *Vigeſimoprimò. Autorem Anonymum*, poſteaquam in ſuis *Monitis* (*a*) conformiter veterum *Hæreticorum* calumniis malignè ſuppoſuiſſet, Orthodoxos *Deiparæ* Cultores collocare ipſam in eodem parallelo cum DEO; & colere cum Collyridianis, tanquam *Deam aliquam ſubalternam*, Poſtquam inquam has, & ſimiles idolomanias Orthodoxis *Deiparæ* Cultoribus affinxiſſet, conari modis omnibus perſuadere: *Sanctiſſimam Dei Genitricem*, non alio Cultu, quàm Duliæ, qui communis eſt omnibus aliis Sanctis, colendam & adorandam eſſe, &, ſi ſpeciali aliquâ adoratione ſupra alios Dei amicos & electos honoretur, ejuſmodi Cultum in adulterinam Latriam degenerare.Ità namque habet Sycophanticum illius *Monitum*, in perſona fictæ *Deiparæ* num: XV. propoſitum: *Me, & Sanctos oportet colere cultu Duliæ, ſive Dilectionis, & Societatis*: Et non multò pòſt: *Attende ne Dulia tua degeneret in adulterinam Latriam, & impingas in præceptum Divinum: Dominū Deum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quib⁹ verbis ſat clarè indicat diſplicere ſibi vehementer ſpecialem Cultum Hyperduliæ, Deiparæ à Fidelibus exhiberi ſolitum, & eſſe hujus opinionis, ut exiſtimet, *Sanctiſſimæ huic Virgini* nec deberi, nec convenire aliquem cultum, aut venerationem à cultu, & adoratione, quæ reliquis *Sanctis* debetur, ſpecie diſtinctam: quem Cultum ipſe verbis (*b*) *D. Auguſtini* (quibus ad abrogandam *Sanctorum invocationem* abuti ſolent *Hæretici*) vocat cultum: *Solius Dilectionis, & Societatis.* Siquidem autem initio memoratæ *Autoris Anonymi*, contra *Orthodoxos Mariæ Cultores*, calumniæ ſunt iis admo-

(a) *Monit: VIII & X.* (b) *l. 20. c. 21. contra Fauſt:*

modum injurioſæ, & doctrina, quam de abrogando *Deiparæ* Cultu *Hyperduliæ*, inſtar zizaniorum inter *Fideles* diſſeminare ſatagit, eorundem pietati, & *Marianæ* gloriæ plurimùm derogat, ut & Orthodoxi Mariæ Cultores ab omni ſuſpicione Idololatriæ, quam eis impingere nititur *Autor Anonymus*, vindicentur, & fundamentum, cui cultus *Hyperduliæ* ab omnibus, qui de Excellentia & Dignitate *Deiparæ* benè ſentiunt, eidem tribui ſolitus, innititur, innoteſcat; operæ pretium erit, quædam de hoc Cultu paulò altiùs repetere, & qualiter circa illum, tum veteres, tum recentiores Theologi ratiocinati fuerint, breviter inſinuare.

Notari proinde velim *Primò* tria eſſe, ex potiori, & inter Orthodoxos paſſim recepta Doctorum ſententia, præcipua ſive genera ſive ſpecies veræ, & propriè dictæ *Adorationis*, prout ea ad Virtutem Religionis pertinet; quæ tum à diverſitate perſonarum, quibus exhibetur; tum à modo, & affectu religioſi cultûs, quo præſtatur, potiſſimùm deſumuntur. *Primi* generis *Adoratio* vocatur: *Latria*; id eſt, *Honor quidam ſupremus, nullo limite, aut termino circumſcriptus, ſolique Deo propter infinitam ipſius Excellentiam conveniens, aut debitus*. *Secunda* appellatur *Dulia*; hoc eſt, *Servitus quædam honoraria, quam Angelis, & hominibus juſtis propter Ordinem ſupernaturalem, ad quem ſtabiliter electi ſunt, & inſignia tum gratiæ tum gloriæ ornamenta,* tanquam Amicis & Domeſticis Dei, ideóque ſpeciali, & eximio honore digniſſimis, *exhibemus*. *Tertia* eſt *media* quædam & extraordinaria cultûs, & obſequii ſpecies, ei ſoli dignitati reſpondens, quæ etſi infinitam Dei Excellentiam non adæquet, creaturarum tamen reliquarum æſtimationem, propter ſpecialem cum infinita Dei Excellentia affinitatem, ab Ordine Unionis Hypoſtaticæ, cui certo modo inſeritur provenientem ſupergreditur, & antecellit; dicitúrque idcircò *Hyperdulia*. In quo ipſo nomine, ne aliqua ſe ſe palliet, aut abſcondat aliquorum de dignitate, & Excellentia Deiparæ non ſatis magnificè ſentientium tergiverſatio, aut æquivocatio.

Notandum venit *Secundo*: eſſe nonnullos, quos tacito nomine impugnat ſæpe citatus Suarez: (*a*) qui Cultum quidem *Hyperduliæ Deiparæ* concedant, ſed non aliud intelligi velint, quàm Cultum *intenſivè*, & *extenſivè* majorem, eo Cultu, qui intra ſpeciem Duliæ, reliquis amicis, & electis Dei poteſt & ſolet exhiberi. Sicuti enim (inquiunt) propter inæquale augmentum gratiæ & gloriæ, inæqualis Cultus Duliæ diverſis Sanctis competit (majori enim honore afficiendi veniunt *Apoſtoli*, aut (*b*) *D. Joannes Baptiſta, quo non ſurrexit major inter natos mulierum*, quàm *D. Magdalena*, vel alius quiſpiam inferioris Ordinis Sanctorum) ità *Deiparæ* quæ in *gratia* & *gloria* omnes alios Sanctos antecel-

(a) *Tom. 2. in 3. p.* (b) *Luc. 7.*

ſit, major, & intenſior præ illis omnibus honor, & adoratio eſt attribuenda; qui exceſſus ſinè ulla diverſitate ſpecifica inter Cultum Deiparæ & Sanctorum, poteſt jure meritò *Hyperduliæ* nomine compellari. Sed cave ſis, Cliens Mariane, ut auſcultes hos Marianæ Excellentiæ & Cultûs eidem convenientis cenſores; aliam enim, & longè ſublimiorem fuiſſe mentem Sanctiſſimorum juxta ac Sapientiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, patebit ex paulò pòſt dicendis. pro quorum intelligentia

Notandum eſt *Tertiò*: tres eſſe præcipuè titulos, propter quos Eccleſia Militans Deiparam eximio Cultu & veneratione digniſſimam agnoſcit. Primus eſt: *Eximia* ejuſdem *Sanctitas*, & ab omni labe *Immunitas*: Secundus: *Divina Maternitas*. Tertius: *Contactus Corporis Chriſti*; nec qualiſcunque, ſed Maternus, hoc eſt cum morali quadam Unione ad Corpus illius conjunctus. Ratione *Sanctitatis, prout à Maternitate Divina* diſtinguitur, debetur quidem Deiparæ ſupra omnes reliquos *Sanctorum* Cultus valdè eminens & eximius, non tamen ſpecie diſtinctus à *Dulia*, quæ exhibetur aliis Sanctis: utpote ſortientibus fundamentum Adorationis ejuſdem ſpeciei cum *Deipara, quod eſt gratia ſanctificans*. Ratione *Maternitatis Divinæ*, ſive ſpectetur ſeorſim *à Gratia ſanctificante*, ſive ùt conjuncta cum illa; attribuitur eidem *Deiparæ* à pleriſque *Theologis* quædam Adoratio ſpeciei longè ſuperioris, & eminentioris, quàm ſit Cultus Duliæ quibuslibet aliorum Sanctorũ exhiberi ſolitæ: quam *Hyperduliam* ſolemus appellare. Cenſent proinde hi Theologi, nequaquam audiendum eſſe *Gabrielem Vaſquez* (*a*) exiſtimantem (propter nonnulla loca tum Scripturæ, tum Patrum, quæ ſuprà cùm de perfectione Deiparæ ageretur allata, & expenſa ſunt) Excellentiam, quæ huic *Sanctiſſimæ Virgini* provenit *à Gratia ſanctificante*, eſſe Dignitati, quæ eidem profluxit *ex Maternitate Divina*, anteferendam. Licèt enim *Gratia ſanctificans* ſecundùm ſe ſpectata, plus fortaſſe prodeſſet eam habenti, quàm *Maternitas Dei* ſejuncta à Sanctitate (utpote ad conciliandum *Dei* favorem potior, & utilior) Dignitas tamen Maternitatis Divinæ, eò quod ſpectet ad Ordinem Unionis Hypoſtaticæ, eſt multò eminentior, & nobilior; ideóque etiam longè nobiliorem, & eminentiorem Cultum exigit. Cujus rei aliquale exemplum habemus in humanis. Magiſtratus namque Eccleſiaſticus aut Politicus, licet improbiſſimus, honorandus eſt præ homine privato quantumcunque innocente; eò quòd munus, quo fungitur, tametſi eum ſibi (ut ità dicam) meliorem non efficiat; eſt tamen ſublimius, & reddit illum aliis venerabiliorem, & honoratiorem.

Ra-

(a) *lib. 1. de Ador. diſp: 8. c. 2.*

Digitized by Google

Ratione denique *Contactûs phyſici Corporis & membrorum Chriſti*, rectè advertunt Suarez, & multi alii à ſapientia, & eruditione celebratiſſimi *Theologi*, ſecluſo ſcandalo, & probè ſejunctis Cultûs fundamentis, poſſe *Beatiſſimam Virginem* adorari adoratione *Latriæ*, idque multò magis, quàm *Crucem, & clavos*, quibus *Latriæ* cultus impenditur, ob phyſicum Chriſti contactum & moralem cum eo unitatem. His ità prænotatis, Cultus *Hyperduliæ* à Cultu *Duliæ* (prout hæc reliquis *Sanctis* communis eſt) ſpecie diſtinctæ, eóque longè præſtantioris, ac præter *Humanitatem Chriſti*, ſoli Deiparæ titulo Maternitatis Divinæ debitæ: *Nititur primò* graviſſimâ Autoritate *Sanctorum Patrum: Damaſceni, Gregorii, Irenæi, Ildephonſi, Bernardi*, & pluſium aliorum (prout videre eſt apud *Petrum Caniſium, Petrum Antonium Spinellum*, & alios Autores hujuſmodi Cultum propugnantes) qui propterea quòd Sanctiſſima Virgo Maria, ſpeciali ſupra omnes alias puras creaturas privilegio, in Matrem Dei eligi, & aſſumi meruit, ejus dignitatem, & excellentiam ſuper omnes alias puras Creaturas extulerunt, & idcircò eam ſingulari veneratione, ac Cultu digniſſimam judicârunt, quorum ſenſum & mentem paucis verbis explicans *Sanctus Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, (a) *Quoniam Maria*, inquit, *Deum inviſibilem, & omnia manu ſuâ continentem, ultra omnem hominum, & Angelorum exiſtimationem, ventre ſuo concepit, & ex ſe incarnatum genuit: idcircò eam, ut verè & propriè Dei Matrē veneramur, & magni facimus, & quâvis viſibili & inviſibili Creaturâ ſuperiorē reputamus. Nititur Secundò* Autoritate *D. Thomæ* (b) docentis *Mariæ, in quantum Dei Mater eſt, non qualemcunque Duliam, ſed Hyperduliam, & eminentiorem quàm cæteris Creaturis, venerationem deberi.* Aſſerentis item (c) *Hyperduliam quæ Chriſto ùt homini, & Mariæ ùt Matri DEI debetur, propter affinitatem cum Deo, eſſe potiſſimam ſpeciem Duliæ communiter ſumptæ.* Quò loci, ne *Affinitas cum Deo*, in qua Cultum *Hyperduliæ* fundavit *Doctor Angelicus*, naſutiori alicui *Antidico-Marianitæ*, calumniandi, aut ſugillandi occaſionem præbeat, *Obſervandum* eſt cum *Petro Caniſio*: (d) quòd tametſi propriè loquendo, *Deus* neque *affines*, neque Conſanguineos habeat (cùm ſit omninò ſimplex, & puriſſimus Spiritus) *Scriptura* tamen ſacra, ei non modò *Conſanguineos, & affines*, ſed & *Filios*, & *Hæredes*, per Metaphoram tribuere ſoleat. In hoc porrò Conſanguineorū, & Affinium numero, principem locū ſibi vendicare poſſunt *Chriſtus* ùt homo, & *B. Virgo* ùt Mater illi⁹; quia enim *Humana Chriſti* natura ad Perſonā Divinam aſſumpta, eiq; propriè, & im̄ediatè unita eſt, idcircò & *Chriſtus quà homo, & Maria quà Mater, ejuſdē affines, & Conſanguinei DEI* non incōgruè dici poſſunt. Haud ſec⁹

(a) *in epiſt. ad Synod*: (b) *in 3. diſt. 25. art. 5.* (c) *2. 2. q. 103. art. 4. ad 2.* (d) *l. 5. de Deip. c. 15.*

Digitized by Google

ac Uxor, quæ ante Conjugiū nulla cum Viro conſanguinitate, aut Affinitate conjuncta fuerat, per Conjugiū illi affinis & conſanguinea effici ſolet. Spectāda namque eſt hæc Cognatio, & *Affinitas*, tā *Chriſti*, quàm *Deiparæ ſecundùm Carnem* verbo Hypoſtaticè unitam. In Chriſto quidem, quatenus Verbum Caro factum, Naturam humanam tàm arctè ſibi copulavit, ut Caro illius Caro *Dei* verè dici poſſet; in Beatiſſima Virgine autem quatenus talis Caro, deſumpta & formata fuit ex puriſſimo ejus ſanguine. Quo factum eſt, ut & *Chriſtus* & *Maria Dei Conſanguinei* potuerint nuncupari. Stabilità autem per hanc interpretationem autoritate Divi Thomæ, *Cultus Hyperduliæ* Marianæ, de quo hìc agimus: *Nititur Tertiò* Autoritate *Seraphici Doctoris Bonaventuræ* (*a*) docentis: *Nomini Mariæ non tantùm Duliæ, ſed & Hyperduliæ honorem tribui oportere. Hoc enim Nomen* (ità ipſe loquitur) *quo DEI Matrem dicimus, tantæ Dignitatis eſt, ut illud non modò Viatores, ſed & Comprehenſores; nec ſolùm homines, verùm etiam Angeli, ſpeciali quadam prærogativâ venerentur.* Et iterum: (*b*) *Tanta*, ait, *eſt Deiparæ Dignitas, ut ſi omnes Creaturæ, quantumcunque aſcenderent in gradibus Nobilitatis, eſſent præſentes, omnes deberent Reverentiam exhibere Matri DEI.* *Nititur Quartò* autoritate plurimorum, tum veterum, tum recentium *Theologorum*: inter quos & purpurâ, & eruditis in *D. Thomam* Commentariis, eminens Cardinalis *Cajetanus* (*c*) diſertè docet: *Hyperduliam à Doctore Angelico* aſſertam, *inter omnes Chriſti Conſanguineos deberi ſoli Beatæ Virgini; quæ ſola ad fines Deitatis propriâ ratione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, & lacte proprio pavit.* *Durandus* quoque nobilis & ipſe in ſcholis Doctor, perſpicuè profitetur; *inter omnes ſpecies Duliæ, quæ debentur puræ Creaturæ, illam eſſe excellentiſſimam, quæ debetur Virgini Matri Chriſti, & vocatur Hyperdulia.* Suffragatur pariter *Gabriel* è veteribus Scholaſticis haud quaquam poſtremus, idémque *Germanus* (*d*) docens: *Hyperduliam complecti ſervitutem quandam reverentialem, ob ſingularem eminentiam, & excellentiam Perſonæ: Qualis reverentia Soli Virgini glorioſæ exhibetur, in qua eſt prærogativa excellentiæ, & ſingulariſſimæ Dignitatis puræ creaturæ conceſſa, in eo, quòd eſt Mater DEI. Hoc enim ipſo excellit Cherubim, & Seraphim, & omnes Angelicos Spiritus.* *Nititur quintò affectu* ſingularis pietatis, & devotionis, quo majores noſtri quovis ſæculo Chriſtiano *Deiparam*, tum domi, tum foris, fuerunt proſecuti. *Hinc enim* (verba ſunt (*e*) Petri Caniſii) *tot, tantáſque ſolennes ferias inſtituerunt, & inſtitutas quotannis in Mariæ honorem ſolemniùs celebrarunt, ac frequentiore Sacramentorum uſu, majoréque cæremoniarum apparatu condecorârunt. Hinc pueri, ſenes, viri,*

(a) *in 3. diſt: 9. q. 3.* (b) *in 1. Sentent: diſtin: 44. in Expoſit: Text:* (c) *in 2. 2. D. Thom: q. 103.* (d) *lect: 49. in Canon: Miſſæ.* (e) *l. 5. de Deip: c. 15.*

Digitized by Google

ri, mulieres, de Mariæ vita, morte, gloria reverenter ſentire, ac loqui, ejúſque Nomen ſacrum, non ſine capitis, vel apertione, vel inflexione (quod aliorum Sanctorum nominibus non facimus) *in ſacris præſertim Concionibus exaudire*; ac illud honorificè uſurpare conſveverunt. Hinc denique, ut cætera taceam, tot Baſilicas, Templa & Sacella Mariæ dicata, exædificârunt, magníſque ſumptibus paſſim dotârunt, & exornârunt. *Nititur* denique Ratione deducta quaſi à priori: quia ſcilicet *Dignitas Maternitatis DEI*, in qua fundatur *Hyperdulia*, ſive ſpecialis *Deiparæ Adoratio*, non ſolùm eſt ſpecie diſtincta *à Dignitate Gratiæ Habitualis*, in qua fundatur Cultus *Duliæ* aliorum *Sanctorum*: verùm etiam ſpectat ad Ordinem longè ſublimiorem, *Unionis* nimirum *Hypoſtaticæ*: éſtque in genere Dignitatum, ad quas pura Creatura pertingere poteſt (exceptâ ſolâ Unione Verbi Divini cum natura humana) nobiliſſima, & præſtantiſſima: ergò exigit, & conſtituit Adorationem, quam vocamus *Hyperduliam*, ab omni alia Adoratione Sanctis communi ſpecie diſtinctam; propter *Objectum Formale ab Objecto Formali* Adorationis illorum ſpecie diſtinctum. Nec potes rationabiliter dicere, hinc ſequi etiam adorationem *S. Petri* propter *Dignitatem Apoſtolicam*; vel *D. Joannis Baptiſtæ* propter *Dignitatem Præcurſoris*, fore diverſæ ſpeciei ab adoratione aliorum Sanctorum ſimili dignitate carentium; & conſtituere novam ſpeciem *Hyperduliæ*, quod nemo hactenus aſſeruit. Ratio namque diſparitatis eſt: tum quia Dignitas Apoſtolatûs, aut Præcurſoris non ſunt dignitates, quæ præcisè ſumptæ ſufficiant ad Rationem Religioſi Cultûs, de quo hic loquimur (ſicut eſt Dignitas Maternitatis Divinæ) ſed ſunt miniſteria quædam, quæ conjuncta cum gratia aliqualiter conferre poſſint ad majorem aliquam æſtimationem: tum quia ordinantur immediatè ad *Gratiam Sanctificantem*: & idcircò ad eundem cum ipſa Ordinem pertinent, nec ſufficiunt conſtituere ſpeciem Adorationis à communi cultu *Duliæ* diſtinctam. Secùs autem ſe res habet cum Dignitate Matris DEI, quæ (prout ex dictis patet) omnes alias Dignitates puræ Creaturæ Religioſum Cultum fundantes, & Ordine & Nobilitate longiſſimè antecellit. Quòd ſi fortè cupias ſcire, in quo conſiſtat ſpecialis Cultus *Hyperduliæ* ſoli *Deiparæ* ſupra reliquos Sanctos convenientis? Reſpondeo cum *Franciſco Suarez* (*a*) conſiſtere partim in actu *Intellectûs* formante ſibi exiſtimationem de excellentia, & dignitate Matris DEI longè ſublimiorem eâ exiſtimatione, quam habet de excellentia omnium aliorum *Sanctorum*, & ſimul ſuggerente voluntati titulos, ac honores, tum internos, tum externos tantæ Excellentiæ ſignificandæ convenientes; quique aliis Sanctis accommodari non poſ-

(a) *Tom: 2. in 3. p. D. Thom: d. 22. ſect: 3.*

poſſint: partim in actu voluntatis Beatiſſimæ *Virginis Dignitatem*, eo quòd eſt *Mater DEI, &* (prout ſuprà diximus) *Conſanguinea Chriſti, ut Hominis, Affinis verò ejuſdem ut DEI*, ità appretiante; ut non ſolùm velit ei exhibere majora ſigna honoris præ omnibus aliis *Sanctis* quamvìs collectivè ſumptis; verùm etiam quantùm in ſe eſt, honorem *Virginis* ipſorum honori præferre; ità, ut ſi neceſſarium foret, alterutrum prætermittere, abſtineret potiùs à cultu omnium aliorum *Sanctorum*, quàm *Deiparæ Virginis Mariæ*.

A quo autem habitu ſive ſupernaturali & infuſo, ſive naturali, & acquiſito (ſuppono enim me in præſenti controverſia agere non ſolùm cum *Juris Conſulto*, verùm etiam *Theologo*) oriatur Cultus *Hyperduliæ Deiparæ* hactenus deſignatus, non idem eſt *Doctorum* ſenſus. Sunt, qui velint eum proficiſci ab Habitu Religionis, à quo promanat *Adoratio Chriſti*: tùm quia in humanis idem habitus, qui movet, & inclinat ad honorandum *Regem*, inclinat etiam ad honorandam *Matrem Regis*, propter correlationem eorum inter ſe: tum quia Dignitas *Maternitatis Divinæ* ſpectat ad Ordinem *Unionis Hypoſtaticæ*, adeóque pertinet ad illam Virtutem, quæ veneratur *Unionem Hypoſtaticam*. Alii verò exiſtimant hoc genus Adorationis, quod vocamus *Hyperduliam Marianam*, conſtituere virtutem & *habitum* diſtinctum à cultu *Latriæ*, & communis *Duliæ*; eò quòd fundatur in ſingulari quadam excellentia, & dignitate nulli puræ creaturæ, exceptâ *Unione Hypoſtaticâ*, communicabili. Ut ut fuerit, ſufficiat oſtendiſſe, *Hyperduliam* oriri ab habitu *Veræ Religionis*, tendente in Objectum formale à communi Sanctorum Dulia ſpecie diſtinctum. Quo habitu, ſi fortè caret *Autor Anonymus*, nihil miror; habitus enim *ſupernaturales* non infunduntur niſi ſubjectis ſufficienter diſpoſitis, & naturales non acquiruntur niſì per actus frequentatos; in quorum alterutro, an ipſe deficiat, non eſt meum, ſed Conſcientiæ ipſius definire.

ANIMADVERSIO XXII.

Maligna Autoris Anonymi in interpretando titulo, Mediatricis & Advocatæ, *qui* Deiparæ *ab* Eccleſia *tribuitur, induſtria.*

ANimadvertendum *Vigeſimoſecundò*. *Autorem Anonymum* ad palliandam frigidam ſuam in *Deiparam* pietatem, & tacitè ſuffragandum conatibus *Heteroxorum*, ejuſdem Cultum ubicunque poſſunt diminuentium; Titulos *Mediatricis, & Advocatæ* (quos ei Eccleſia Catholica

paſ-

paſſim attribuit) non quidem abſolutè improbare; adeò tamen ambiguè, & cum tot limitationibus, ac reſtrictionibus, (prout patet, tum ex edita pro ſui defenſione *Apologia*, tum ex *formula orandi*, quam in favorem *Heteroxorum*, prout ſuprà monſtratum fuit, ſtudioſè elaboravit, & in calce ſuorum *Monitorum* appoſuit) eidem Deiparæ concedere, ut non obſcurè appareat, ſi in poteſtate ejus foret, ejuſmodi *Titulos* penitus climinaturum, & ab ore *Fidelium* in Utopiam proſcripturum. Præterquam enim, quod in odium *Marianorum Clientum* calumnioſè fingit, ipſos in ſimilibus titulis *Deiparam* cum *Chriſto*, per omnia æquiparare, & in eodem ſenſu, ac intellectu, quo Scriptura *Mediationem*, & *Advocationem* eidem *Chriſto* tanquam ipſi ſoli propriam, attribuit, eandem cum *Deipara* partiri; conatur inſuper verbis non obſcuris perſuadere; *Matrem DEI* nequaquam *verè & propriè*, ſed tantùm *impropriè*, & quod inde conſequitur, ſolùm *metaphoricè & hyperbolicè Mediatricem, & Advocatam* noſtram appellari poſſe. In quem finem pro his titulis Monito X. (perſonam fictam Deiparæ loquentis aſſumens) ſubſtituit titulum Patronæ his verbis: *Si me amas, & colis, ut Patronam tuam apud Deum, benefacis; multùm enim valent mea preces*: volens ſcilicet ſignificare, quòd propriè loquendo *Deipara*, non debeat *Mediatrix*, & *Advocata*, ſed tantùm *Patrona* (qui titulus communis eſt omnibus aliis *Sanctis*) nuncupari. Ut igitur occultas haſce *Autoris Anonymi* artes detegam, & qualiter non ſolùm appellatio *Patronæ*, verùm etiam *Mediatricis & Advocatæ Sanctiſſimæ DEI Genitrici*, præ omnibus aliis puris creaturis, *in ſenſu proprio, & rigoroſo* conveniat, demonſtrem: Suppono cum *D. Thoma* (a) *& Doctoribus Scholaſticis nomen Mediatoris propriè ſumptum*, (idem pauculis mutatis dicito de nomine *Advocati*) ſignificare illum, ad cujus officium ſpectat interpellare ad unum eorum inter quos eſt Mediator pro altero, eóſque inter ſe conciliare, & ad invicem unire. Dividi autem hoc nomen officii tanquam genus in ſpecies in *Mediatorem Principalem* ſive *Primarium*, & *Mediatorem minùs Principalem*, ſive *Secundarium*. *Primarius & Principalis* dicitur qui vel parti læſæ ad æqualitatem ſatisfacit (quo ſenſu non diſtinguitur à Redemptore) vel apud offenſum propriâ authoritate, cui hoc negari nullo modo poſſit, intercedit. *Poſterior* eſt, qui neutrum horum præſtat, ſed aliis titulis, ac modis de ſe aptis, & congruis, animum offenſi placare, & ſuis precibus ſupra cæteros validioribus offendenti conciliare contendit. Hoc ſuppoſito, ſi de *Mediatore Principali & Primario* ſermo ſit, certum eſt, & apud omnes *Orthodoxos Mariæ Cultores* indubitatum; ſolum & unicum (prout *Scriptura* docet) humani generis *Mediatorem*,

(a) 3.p.q.26.art.1.

Digitized by Google

torem, & Advocatum eſſe Chriſtum Jeſum. Tum quia ipſe ſolus per ſuum ſanguinem, & mortem, humanum genus *DEO* perfectè reconciliavit, & pro peccatis noſtris, non ſolùm ad æqualitatem, verùm etiam ſuperabundanter, ſatisfecit; teſtante id Apoſtolo: (*a*) *Dedit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus*: tum quia non alienis meritis, ſed propriâ autoritate ſubnixus, *accedit* (ùt loquitur (*b*) idem Apoſtolus) *per ſemetipſum ad Deum ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*: *& in ara crucis, cum clamore valido, & lachrymis orans, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quòd ſi de *Mediatore minùs Principali*, & Secundario agitur; cùm ex dicendis *Animadverſione* ſequenti manifeſtum futurum ſit; *Deiparam* ſpeciali quodam modo ad *Redemptionem noſtram* concurriſſe, & in *Animadverſione* ſuprà oſtenſum fuerit, eam in orando, & impetrando eſſe apud Deum poſt *Chriſtum* longè potentiſſimam; conſequens eſt, Sanctiſſimam hanc *Virginem*, non ſolùm noſtram *Patronam* (prout hic titulus eſt communis aliis Sanctis) ſed etiam propriiſſimè ſumptam *humani generis Mediatricem & Advocatam* (licet *minùs Principalem & Secundariam*) poſſe & debere appellari. Sic namque ipſam non in ſenſu *Metaphorico, & Hyperbolico*, quemadmodum malè ſupponere videtur *Autor Anonymus, ſed genuino & proprio Mediatricem veriſſimam* nuncupavit *S. Laurentius Juſtinianus Venetorum Patriarcha.* (*c*) *Mediatricem glorioſiſſimam S. Germanus Patriarcha Conſtantinop*: (*d*) *Mediatricem optimam, & totius terrarum Orbis Conciliatricem efficaciſſimam S. Ephrem Syrus.* (*e*) *Mediatricem Dei, & Hominum S. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus.* (*f*) *Mediatricem ſalutis, in qua nihil poſſit eſſe ſuſpectum, S. Bernardus.* (g) *Mediatricem fideliſſimam, S. Bonaventura.* (*h*) *Mediatricem familiariſſimam, quæ totum mundum reconciliavit Albertus Magn⁹.* (*i*) *Divinũ inter Deum, & homines reconciliationis profugium D. Andreas Cretenſis.* (*k*) quibus ſimilia habent alii. Abſit autem ab Orthodoxo Deiparæ Cultore ſentire vel dicere, hos SS. Patres & Doctores, quando titulum Mediatricis cum terminis adeò prægnantibus & ſonantibus *Deiparæ* attribuerunt, voluiſſe aliquid detrahere, aut derogare ſupremæ, & perfectiſſimæ *Mediationi Chriſti Filii ejus*; ex ulterioribus namque eorum dictis, & ſcriptis clarè patet, eos ſemper *Mediationem Matris Mariæ à Mediatione Chriſti Filii ejus* dependentem feciſſe, & hoc ſolùm egiſſe, ut *Fideles* docerent, *Mediatorem Primarium, & Principalem*, qui eſt *Chriſtus*, per *Mediatricem Secundariam & minùs Principalem*, quæ eſt *Maria*; eſſe conciliandum & demerendum. Quam Doctrinam tradens mellifluus *Bernardus*: (*l*) *Opus eſt*, inquit, *Mediatore ad Mediatorem*

(a) *1. Timoth: 2* (b) *ad Hebr: 7.* (c) *Serm: de Annunc:* (d) *Serm: de Cœna* D. (e) *Orat: ad V.* (f) *Orat: in Sanct: Deip:* (g) *ſerm: ſuper ſig: mag: & ep: 144.* (h) *in ſpecul. c. 8.* (i) *c. 5. ſuper miſſus.* (k) *Orat. 2. de Dormit: Deip:* (l) *ſerm: ſuper ſig: mag:*

torem nec alter nobis utilior, quàm Maria. & *D. Arnoldus Carnotenſis:* (*a*) *Habet,* ait, *Homo Mediatorem cauſæ ſuæ Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem; Chriſtus Patri oſtendit latus, & vulnera: Maria Chriſto pectus, & ubera. Nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt, & orant omni linguâ diſertiùs, hæc clementiæ monumenta, & Charitatis inſignia.* Quod porrò titulum *Advocatæ* concernit, nihil æquè familiare fuit *Sanctis Patribus*, quàm *Deiparam* tanquam ſuam, & totius Generis humani apud *Deum Advocatam* colere, & venerari. *Advocatam* inquit, *Mellifluus Doctor,* (*b*) *præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater Miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractet.* Et paulò antè citatus *Arnoldus Carnotenſis: Dividunt,* inquit, *coram Patre inter ſe, Mater & Filius, pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humanæ negotium.* Quibus conſentiunt alii Patres, qui titulum *Advocatæ* tanquam Deiparæ convenientiſſimum, ſub compluribus metaphoris, & figuris conati ſunt Fidelibus perſuadere. Sic quippe S. *Georgius Nicomedienſis* (*c*) vocavit Deiparam: *Humanæ naturæ facundum os, & rationabilem defenſionem eorum, quibus pudor eſt loqui. S. Bonaventura:* (*d*) *Conſiſtorium, & Domum cauſarum. S. Bernardinus Senenſis:* (*e*) *Curialiſſimam Salutis noſtræ Negotiatricem.* Taceo plura alia ad hoc probandum, & confirmandum argumenta, quæ abundè ſuppeditat *Petrus Antonius Spinellus è Societate JESU*, in eruditiſſimo ſuo opere, cui titulus: *Maria thronus Dei.* (*f*) ubi & ratione, & autoritate oſtendit *Deiparam* fuiſſe, tanquam optimam, & potentiſſimam humani generis *Advocatam*, omni propè ſæculo, *à Fidelibus* cultam, & invocatam. Mihi interea ſuffecerit piis mentibus in memoriam revocâſſe, id, quod in Revelationibus Beatæ Gertrudis, magni ſemper in Eccleſia habitis, refertur (*g*) his ferè verbis: *Cùm in feſto Nativitatis Beatiſſimæ Virginis ad Completorium cantaretur* Salve Regina, *& Gertrudis per verba illa:* Eja ergo Advocata noſtra, *benigniſſimam Matrem in ſuum auxilium invocaret; videbatur ipſa Mater inclyta veluti funibus quibuſdam validis tracta inclinari ad eam. Per quod intellexit, quòd quoties aliquis ipſam ſuam* Advocatam *cum devotione nominando invocat per hoc nomen materna pietas ejus in tantum commoveatur, quòd nullatenus ſe valet cohibere, quin benignè precibus illius acclinetur. In illis autem verbis:* Illos tuos miſericordes oculos, *vidit Gertrudis Beatiſſimam Virginem mentum Filii ſui blandè tangentem, ipſumque versùs terram ad ſe inclinantem, ac dicentem:* Iſti ſunt miſericordiſſimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes, ſalubriter poſſum inclinare; unde etiã uberrimũ fructũ conſequuntur ſalutis æternæ. *Poſt quæ hanc Gertrudis à Domino eruditionem*

(a) *tract: de laud: V.* (b) *Serm: 1. de Aſſumpt.* (c) *Orat: 2. in Concept:* (d) *in ſpec: c. 7.* (e) *tom: 1. Serm: 53.* (f) *c. 30.* (g) *l. 4. c. 53.*

nem percepit, ut ad minùs quotidie Matrem ſuam beatiſſimam per iſta duo verba: Eja ergo Advocata noſtra Et: Illos tuos miſericordes oculos, *invocaret; certa quòd per hoc in hora ſua noviſſima non mediocre ſolatium obtineret.* Hucuſque *Hiſtoria Revelationum B. Gertrudis.* Cui ex amuſſi correſpondet altera Revelatio facta *S. Mechtildi* apud *Joannem Landſpergium* (*a*) in qua *Chriſtus* docuit, ſanctam hanc Dei famulam ſæpius ſalutare benigniſſimum Cor *Deiparæ, propter propenſiſſimam illius in homines Charitatem, plurima gratiarum munera eiſdem procurando, & ſolicitiſſimè pro ipſis apud Deum intercedendo.* Et verò hanc ejus interceſſionem eſſe longè validiſſimam & potentiſſimam (præterea, quæ ſuprà adducta ſunt) pridem teſtatus fuit *D. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus* (*b*) dum ait: *Dudum Cælum & terra ruiſſet, ſi non Maria precibus ſuſtentâſſet.* Et *D. Bonaventura* (*c*) *Ante Mundum*, ait, *non fuit, quæ ſic detinere Dominum auderet.* Ipſe etiam *Chriſtus* dixit *S. Brigittæ*: (*d*) *Verè Eccleſia longè receſſit à me in tantum, quòd niſi preces Matris meæ intervenirent, non eſſet ſpes miſericordiæ.* Ut proinde rectè *Clientes Marianos* hortatus fuerit *Richardus à S. Laurentio* (*e*) cum *D. Bernardo* ponderante illa verba Angeli: *Inveniſti gratiam apud Deum*; *Cupientes*, inquit, *invenire gratiam, quæramus Inventricem gratiæ Mariam; quæ quia ſemper invenit, fruſtrare non poterit, exaudietur enim pro ſua reverentia.* Ut verò ad hoc magìs declarandum aliquid etiam ex profanis hiſtoriis per tranſennam adjungamus: memorant Hiſtoriæ Florentinæ Scriptores, celeberrimum ævo ſuo Juriſconſultum, cognomine *Accurſum*, natione Florentinum, ex ſola etiam nominis ſui derivatione, quàm plurimos, difficillimis quibuſque cauſarum litibus implicitos, ex multis regnis & provinciis ad ſe invitâſſe & allexiſſe dicendo: *ſe habere honeſtum & pulchrum nomen Accurſii, eò quòd noviſſet accurrere & ſuccurrere contra tenebras Juris Civilis.* (*f*) Quidni igitur nos miſeri homunciones, qui plurimorum delictorum reatu ſtimulamur; qui timore ſeveriſſimi Judicis concutimur; qui in lubrico vitæ & mortis conſtituti, inter ſpem & metũ fluctuamus; qui non ad tenebras *Juris Civilis*, ſed *Divini* nobis inſcrutabilis graviſſimè percellimur; quidni inquam convertamur ad *Accurſiam noſtram Mariam* (quam *S. Joannes Geometra* (*g*) *per Metonymiam* appellavit: *Jus dirimens lites*) eíque inclamemus cum Eccleſia: *Eja ergò Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.* Aut etiam alloquamur verbis *D. Bernardi*: (*h*) *Vides ô Sanctiſſima Dei Genitrix hanc tunicam pelliceam, quâ poſt prævaricationem Adæ in teſtimonium noſtri reatûs circumdati ſumus? Tunica Evæ parentis noſtræ eſt, quâ ſuperveſtivit carnem filiorum ſuorum, ſicut diploide confuſione ſuâ.*

Et

(a) *lib: 1. vitæ c. 3.* (b) *l. 1. Mythol:* (c) *in Spec: c. 7.* (d) *l. 6. Revel: c. 26.* (e) *l. 7.* (f) *C. in Decret: l. Facti ſi in danda ff. ad pren. V. Conditio.* (g) *hymn. 4.* (h) *ſerm: 5. in tit. Deprecat. ad V.*

Et quis nos liberabit à corruptela hujus miſerrimæ pelliculæ? Gratia utique Salvatoris Filii tui. Et quis idoneus, ut loquatur ad cor Domini noſtri pro nobis? Tu felix Maria. Erit enim (ità nos docet (*a*) *D. Anſelmus*) *benigniſſimus Filius tuus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad concedendum quidquid voles promptiſſimus & exaudibilis; ſiquidem, teſtimonio D. Irenæi, ideò in Matrem Dei electa es, ut Eva fieres* Advocata.

ANIMADVERSIO XXIII.

Non ſolùm DEUS, & Chriſtus, verùm etiam Deipara, poteſt appellari Spes noſtra.

ANimadvertendum *Vigeſimotertiò.* Nihil ferè magìs piiſſimo, & longo *Orthodoxæ Eccleſiæ* uſu approbato, Cantico *Salve Regina* à pleriſque *Hæreticorum* traduci, & ſugillari, præter quàm, quòd nos *Orthodoxi,* dum illo Cantico *in Officio Divino* utimur, ex *Maria Virgine* non ſolùm *Mediatricem & Advocatam,* verùm etiam *Spem noſtram* faciamus. Quid enim (inquiunt) ità inculcat *Vates Regius* in ſuis Carminibus? Quid *Eccleſiaſtes, & Propheta* in ſuis ad Reges, Principes, & populos adhortationibus? Quid in Epiſtolis à ſe ſcriptis *Gentium Doctor Paulus*: quàm in ſolo *Deo & Chriſto* omnem ſpem noſtram eſſe unicè collocandam? Quorum teſtimoniis ſubnixi maleſani *Hæreſum* Propagatores *Guilielmus Bredenbachius & Lucas Oſeander,* peſſimam hanc Concluſionem intulerunt: *Mariam ſpem noſtram dicere non poſſumus, niſi ſimul etiam Deum noſtrum ipſam eſſe dicamus.* Alii verò cum *Calvino, Bucero,* & ſimilis farinæ Sectariis verbis Davidicis: (*b*) *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam*, ſibi vanè applaudentes, *Orthodoxos Mariæ Cultores* deteſtantur execratione *Jeremiæ Prophetæ*: *Maledictus Homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* His porrò non obſcurè patrocinari voluiſſe videtur *Autor Anonymus*, dum in ſuis Monitis non ſolùm Peccatores ab omni ſpe & fiducia in Deiparæ patrocinio collocanda avertere, eorúmque devotiones *baculum arundineum* appellare, non erubuit; verùm etiam probis ac juſtis ſinè omni diſtinctione, aut limitatione perſuadere adniſus fuit, in nullo alio, præterquam in Deo & Chriſto, ſpem omnem de conſequenda æterna ſalute, & impetrandis cœlitus beneficiis eſſe reponendam. Ut igitur tam periculoſæ, & multis puſillorum ſcandalis obnoxiæ *Autoris Anonymi* doctrinæ opportunè occurratur. Supponendum eſt, *Orthodoxos Mariæ Cultores,* quando

(a) *de Excell: V. c. 11.* (b) *pſal. 64.*

eam *Spem* ſuam vocant, non ſumere nomen *Spei objectivè*, ſivè pro rè ſperata, qualiter illud uſurpavit Sapiens,(*a*) cùm dixit: *Spes qua differtur, affligit animam* (ut ſic enim certum eſt, Spem omnium rectè credentium eſſe ſolum *Deum per Viſionem Beatifica* intentionaliter poſſidendum, juxta illud *Vatis Regii:* (*b*) *Dixi, Tu es Spes mea, portio mea in terra viventium.* & alterum *Apoſtoli:* (*c*) *Exſpectantes beatam ſpem*) neque ſumere appellationem *Spei* ſtrictè, & propriè cum D. *Auguſtino* (*d*) *Thoma* (*e*) & *Theologis pro expectatione ſeu deſiderio abſentis boni arduè conſequibilis.* quo ſenſu de Iſraëlitis per mare rubrum, & vaſta Ægypti deſerta tranſeuntibus, & ſe ſe expectatione terræ promiſſæ ſolantibus, cecinit paulò antè citatus Vates: (*f*) *Deduxit eos in ſpe.* ut ſic enim, *Spes eſt quidam actus, vel habitus voluntatis, tendens in bonum abſens & arduum cum probabili judicio de conſecutione illius.* quod procul dubio per nullam metaphorā accomodari poteſt Deiparæ. Sumitur ergò nomen *ſpei* à Marianis Clientibus, quando Deiparam *ſpem* ſuam appellant per Metonymiam pro eo, quod nos poteſt plurimùm adjuvare ad conſequendam cœleſtem beatitudinem, quam deſideramus, & expectamus. Quo ſenſu dictum fuit *à Davide:* (*g*) *Tu es Spes mea ab uberibus matris mea.* & vulgò *Spem ſuam* peritum *Medicum* vocare ſolent ægroti, aut in Jure bene verſatum Advocatum *Spem ſuam* nominant Clientes gravibus, ac periculoſis litibus obnoxii. Hoc porrò ſenſu poſſe Deiparam, citra ullum errorem, aut rationabilem contradictionem, dici *Spem Fidelium*, apertè inſinuat Scholaſticorum Doctorum Princeps Aquinas (*h*) his verbis: *Licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua Creatura, ſicuti de agente Secundario, & inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad conſequenda quacunque bona in beatitudinem ordinata, & hoc modo ad Sanctos* (à fortiori autem ad *Deiparam*) *convertimur.* Cui doctrinæ ſubſcribunt omnes *Theologi*, & nemo niſi malevolus, aut Imperitus, adeóque aut incapacis, aut contumacis ingenii, poteſt refragari.

Eſſet fateor gravis error ſperare in *Deipara* tanquam in *Cauſa primariò movente & applicante ad Beatitudinem*; talis enim ſunt ſolus Deus & Chriſtus: ille, quia electos ſuos jam inde ab æterno, ad gloriam liberè prædeſtinavit; iſte, quia talē Electionē, & media Beatitudini conſequendæ opportuna, imò neceſſaria meritis Sanctiſſimæ ſuæ Paſſionis ac Mortis procuravit. At verò ſperare in Deipara tanquam in *cauſa* nos *ſolùm ſecundariò* per ſuum patrocinium adjuvante, & cooperante, ut ex meritis Chriſti Filii ſui præfinitam à Deo gloriam conſequamur; hoc enim verò, à nullo, niſi Marianæ Gloriæ invido, poteſt rationabiliter culpari, aut reprehendi. ſiquidem tam ex immediatè dictis, quàm commu-

mu-

(a) *prov:17.* (b) *pſ.141.* (c) *ad Tit.c.2.* (d) *Enchirid.c.8.* (e) *1.2.q.40.* (f) *pſ.77.* (g) *pſ.21.* (h) *2.2. q.17.art.4*

muni hominum ſenſu conſtat. non ſolùm eos, in quorum poteſtate eſt, hæc aut illa bona nobis elargiri; verùm etiam eos, qui ad ſimilia bona obtinenda nobis auxilio eſſe poſſunt, poſſe *Spem noſtram* vocitari. Et quis obſecro eſt inter paulò magis eruditos Deiparæ Cultores ità maleſanus, ut tunc quando *Deiparam Spei* titulo condecorat, & magnam de conſequenda ope ipſius æterna ſalute fiduciam concipit, exiſtimet poſſe ſibi ab ea *condonari peccata*, aut conferri immediatè *Gratiam & Gloriam*? (cùm certum ſit de his immediatè diſponere eſſe ſolius *DEI*, juxta illud *Vatis Regii*:(a) *Gratiam & gloriam dabit Dominus*) ſed quoniam ex Fide & *ordinaria Divinæ Providentiæ* lege conſtat, Deum qui eſt Primarius & Principalis omnium bonorum dator & largitor, non ſolere ſemper ſua dona communicare immediatè per ſe ipſum, ſed ut plurimùm per aliqua media, quas *cauſas ſecundas* vocamus; ideircò ad *Deiparam* tanquam *Deo* proximam & chariſſimā recurrunt, ut illius patrocinio, *auxilia efficacia*, ſinè quib⁹ *Gratiā & Gloriam* non aſſequerentur à Deo per Chriſtū conſequantur. Siquidem meli⁹, & compendioſi⁹ mediū ex ipſa *Dei* diſpoſitione obtinendæ peccatorū veniæ, & conſequendæ *Gratiæ*, ac *Gloriæ* Peccatori nequit ſuppetere, quàm ſi ipſe *Matrem Dei* ſupplex adeat, & hæc apud *Filiū*, *Filius* verò apud *Patrē*, pro illo interpellet. *Exaudiet* enim, uti benè argumentatur *Claravallenſis Archimandrita Bernardus*, (b) *Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater*. Unde ſubdit: *Filioli hæc Peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio* Spei *mea. Quid enim? poteſtne Filius, aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audiri, aut non audire Filius poteſt? neutrum planè.* Quò loci nequaquam exiſtimandum eſt, *Bernardum* de Gratia divina, aut *Chriſti* miſericordia minùs benè ſenſiſſe; ſed quia ſupremam, & ſublimiſſimam *Dei*, qui in *Scriptura* (c) *ignis conſumens* dicitur, Majeſtatem, & ſimul *Chriſti*, qui judiciariam poteſtatem in Peccatores exercet Juſtitiam, cum timore & tremore, reveritus fuit, ad *Sanctorum* atque imprimis *Deiparæ* patrocinium ſibi confugiendum; & *Chriſtum* Judicem per *Mariam Matrem* placandum eſſe judicavit. Magnum porrò diſcrimen inter *Chriſtum* & ejus *Matrem* à citato *Bernardo* conſtitui, patet tum ex iis, quæ hìc, tum quæ aliis in locis docuit. Tametſi enim ubique *Deiparam* tanquam clementiſſimam *Cæli terrarúmque Reginam, & Miſericordiæ Matrem* cum magna fiducia, à nobis invocari velit; ſemper tamen ſimul profitetur totius *Gratiæ fontem* & omnium bonorum, quæ *à Maria* ſperari, ac peti poſſunt, largitorem eſſe *Chriſtum* ejus filiū, ab omnibus & ſuper omnia benedicendum, ac glorificandum. Quæ doctrina, ſi benè attēdatur, facile erit *SS. Patres*, qui quovis ſæculo ſpeciale

O 3 quan-

(a) *Pſ. 83.* (b) *Serm. de Nativ V.* (c) *Deuter. 4.*

quandam poſt Deum, & Chriſtum, ſpem, ac fiduciam in Deiparæ patrocinio collocârunt, ab omni Heterodoxorum calumnia vindicare. Cum hâc enim limitatione & cautela, de Sanctiſſima Virgine dixit *D. Auguſtinus* : (*a*) *Tu es ſpes unica Peccatorum, quia per Te ſperamus veniam omnium delictorum ; & in Te noſtrorum eſt expectatio præmiorum.* Cum hac *D. Georgius Nicomedienſis Preſbyter & Martyr* (*b*) inter *Græcos Patres* valdè celebris : *Te Fiducia noſtra circumferimus gloriationem.* Cum hac *S. Ephrem Syrus Baſilii Magni Diaconus*: (*c*) *Non mihi alia fiducia, ô Virgo ſincera : ſub tutela, & protectione tua totus ſum.* & iterum *Ave anima mea Spes. Ave Chriſtianorum omnium firma ſalus.* Cum hac *D. Athanaſius*: (*d*) *Maria eſt illa, per quam homines habent fiduciam erga Deum altiſſimum.* Cum hac *S. Petrus Damiani* : (*e*) *In Virgine Virga, & baculo cruce Peccatorum ſpes, & conſolatio ſita eſt*; quemadmodum præclarâ voce declarat Propheta: (*f*) *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Cum hac *Sanctus Damaſcenus*: (g) *Spem illius habens ſervaberis, defenſionem ejus poſſidens non timebis.* Cum hâc Conſtantinus Magnus Imperator Confeſſioni Fidei ſubſcripſit: (*h*) *Spero me ſalutem conſequi à munerum Datore Deo, intercesſionibus Sanctiſſimæ & Immaculatæ Mariæ.* * Cum hac denique limitatione, & cautela, (hoc eſt cum ſalvo & debito ad *Chriſtum*, quem *Spem noſtram per excellentiam & Antonomaſiam* appellavit *Apoſtolus*) *S. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus* (*i*) *S. Epiphanius* (*k*) *S. Laurentius Juſtinianus Venetorum Patriarcha* (*l*) *S. Germanus Patriarcha* Conſtantinop. *S. Andreas Cretenſis* (*m*) *S. Joannes Geometra* (*n*) cum hac, inquam, limitatione, & reſtrictione, *Deiparam ſpem utriuſque mundi* : *Spem unicam Chriſtianorum* : *Spem delinquentium* : *Turrim fortiſſimam abſconditæ Spei ; & Propugnaculum Fidei Chriſtianorum* indigitârunt. Et quia uſitatiſſimum *Spei* ſymbolum eſt anchora ; hanc quoque Sanctiſſimæ Virgini aptiſſimè accommodavit *S. Damaſcenus* (*o*) ità fatus : *Animas noſtras ad ſpem tuam, non ſecus atque ad firmiſſimam quandam Anchoram alligantes, mentem, animam, corpus, totos denique nos, Tibi, dicamus & conſecramus.* Et *D. Matthæus Philadelphicus* (*p*) *Maria*, inquit, *eſt fida, ac ſacra tempeſtate jactatorum Anchora ; deſperatorum ſpes, paratum ad omnes caſus ſubſidium ; tutiſſimus naufragorum portus.* Leo quoque *Orientis Imperator* (*q*) *O Virgo*, ait, *de qua ſalutis noſtræ anchora dependet, largire nobis, ut peccatorum tempeſtatem vincamus. Largire etiam ut hoſtium procellæ nihil noceant, datóque nobis veluti clavo, patrocinio tuo in tranquillum portum Filii tui, omnes deducito.* Ut proindè etiam non incongruè *Deiparæ* non-

nulli

(a) *Serm: de Annunc:* (b) *Orat: de Præſent:* (c) *in Orat: ad V.* (d) *in Evang: de Deip:* (e) *ſerm. 1. de Annunc:* (f) *Pſ. 22.* (g) *Orat: de Annunc:* (h) *in Synod: art: 8.* (i) *Orat: de Annunc:* (k) *Orat: de B. V.* (l) *ſerm: de Nativ: B. V.* (m) *Orat: de Dorm: Deip:* (n) *in Hym: de B. V.* (o) *Orat: 1. de Dorm: Deip:* (p) *Orat: ad V.* (q) *Orat: 2.*

nulli accommodaverint illud, quod de *Spe* ſcripſit *S. Joannes Chryſoſtomus*:(*a*) *Ipſa eſt catena aurea, & firma, quâ de Cœlo protensâ ſubducimus animas noſtras: qua brevì ſurſum in illud ſummum faſtigium protracta, eos, qui ipſam fortiter manibus ſervant, evellit & rapit ſupra præſentis vitæ omnium longè periculoſiſſimos fluctus. Et qui hanc ſacram Anchoram amiſit, continuò decidit, & ſuffocatur in profundum malitiæ pelagus.* Caveat proinde *Autor Anonymus*, ne Marianæ *Spei Anchorâ* deſtitutus, gravibus animæ tempeſtatibus & periculis ſe exponat. ſiquidem *D. Brigittæ* (*b*) *à Chriſto* dictum eſt: *Nisì Matris meæ preces intervenirent, non eſſet ſpes miſericordiæ*; & in *Synodo* 7. definitum eſt: *Qui Deiparæ interceſſiones ſincerâ fide non poſtulaverit, anathema ſit.*

Ex iis porrò, quæ hactenus dicta ſunt, facile eſt intelligere, immeritò ab *Autore Anonymo* in ſuis *Monitis* (*c*) reprobatam fuiſſe hanc propoſitionem nonnullorum *Fidelium*, gravium delictorum conſcientiâ gravatorum, & Divinæ Juſtitiæ rigorem expaveſcentium: *Deſperarem niſì haberem Deiparam.* Sic enim dicere, aut ſentire, non eſt de ſufficientia Meritorum Chriſti, vel obtinendis ſine Deiparæ patrocinio auxiliis ad ſalutem ſimpliciter neceſſariis abſolutè diffidere: ſed indignitatis, & præteritorum peccatorum conſcium judicare ſe propriis mediis, & precibus non facilè obtenturum auxilia efficacia, quibus certò & infallibiliter ſit reſponſurus, & *gratiam finalem*, ſinè qua ad ſalutē nunquā pervenitur, obtentur⁹; eò quòd probè noverit ejuſmodi auxilia eſſe dona ſpecialia, & gratuita, quæ *in generali voluntate ſalvandi* omnes homines, de qua Apoſtolus (*d*) nequaquam eſſentialiter includantur. Meritò proinde poſſit ſuis viribus diffidere, & pro talibus auxiliis conſequendis *Deiparæ* interceſſionem apud *Deum* tanquam ſibi ſummè neceſſariam implorare. Ad eum ferè modum, quo æger aliquis periculosè decumbens, ſolet quandoque dicere: *deſperarem de mea ſanitate, ſi non haberem peritum medicum.* & populus *Iſraëliticus* in Idololatriam in deſerto prolapſus, atque idcircò Divinis minis graviter perculſus, poterat citra culpabilem reprehenſionem exclamare: *Actum erit de noſtra ſalute, nisì Moyſes oraverit pro nobis*; prudenter ſcilicet præſagiendo illud *Vatis Regii*: (*e*) *Dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus, ejus ſtetiſſet in confractione ejus, ut averteret iram ejus.* Errat proinde non parum *Autor Anonymus*, ſi hunc piarum, & Divini judicii ſeveritatem expaveſcentium mentium affectum: *Deſperarem niſi haberem Deiparam*, inter peccata Spei Theologicæ oppoſita adnumeret. Malitia enim formalis *Deſperationis* juxta *D. Thomam & Theologos*, non conſiſtit in qualicunque *Beatitudinem ſupernaturalem* obtinendi diffi-

(*a*) *Paræneſi ad Theodorum lapſum*. (*b*) *l. 6. Revel.* (*c*) *Num: 7.* (*d*) *1. Timoth: 2.* (*e*) *pſ. 105.*

rianitarum ſuſpicione *Deiparam* præclariſſimi quiq; *Jure-Conſultorum* apud *Menochium* (*a*) docentes ampliſſimam perſonæ dignitatem tribuere, ei liberam de rebus à ſe ipſa geſtis teſtificandi poteſtatem, & autoritatem. Multò verò minùs officiet, quòd ejuſmodi teſtimonium proficiſcatur à muliere : Si namque *Tarquiniæ* Veſtali (quam *Aulus Gellius* (*b*) *Cajam Tarratiam* vocat) Senatus Populúſque Romanus ob donatum fundum, qui *Campo Martio* adiacebat, teſtimonii dictionem inter mulieres conceſſit; quis dubitet ſummum illum Cœli terræque *Prætorem* huic Virgini ob ſuum donatum Orbi aſſertorem, teſtimonii ferendi autoritatem ampliſſimam indulſiſſe.

Quamvis autem ea, quæ hactenus allata ſunt, poſſint intellectui de *Sanctiſſima Dei Genitrice* piè & rectè ſentienti ſufficere, ut eam *Spem ſuam* appellare non vereatur; occurrit nihilominus adhuc alia non incongrua ratio, ob quam idem titulus Deiparæ meritò poſſit adaptari. Illa ſcilicet, quòd ſub *iiſdem formalitatibus*, ſub quibus moderni *Theologi* vetuſtiſſimorum Doctorum, putà *D. Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, Durandi,* & aliorum veſtigiis inhærentes, conſtituunt *Deum pro Objecto Formali Spei primario*; ſub iiſdem poſſit *Deipara* conſtitui *Objectum Formale Spei ſecundarium*. Tres namque ſunt præcipuæ circa hanc controverſiam opiniones, & Sententiæ. *Una*, quæ *Deum* facit *Objectum formale Spei ſub ratione auxiliatoris*. *Altera*, quæ ſub ratione *Fidelis, & Omnipotentis*; *Tertia*, quæ ſub ratione *Boni infiniti ſummè delectabilis per viſionem Beatificam intentionaliter poſſidendi*. Quas formalitates *Deiparæ* in ſano ſenſu magnopere convenire, ideóque *Spem* noſtram abſolutè nominari poſſe, facillimum eſt, oſtendere. Si enim de Sanctiſſima Virgine prout humani generis Auxiliatrice, & Opitulatrice quæſtio moveatur : *Quis* (exclamat *D. Germanus Patriarcha Conſtantinop:*) *poſt tuum Filium* (*c*) *curam gerit generis humani, ſicut Tu? Quis ità nos defendit in noſtris afflictionibus? Quis in Supplicationibus adeò pugnat pro Peccatoribus? Tu enim cùm habeas maternam apud tuum Filium fiduciam, & potentiam, nos tuis interpellationibus, & interceſſionibus ei efficis familiares, & das ſalutem, & ab æterno liberas ſupplicio.* Si de Fidelitate agatur: *Tu es*, inquit, *S. Ephrem* (*d*) *Peccatorum, & auxilio indigentium fidiſſima apud Deum adjutrix.* & *D. Bonaventura*: (e) *Peccatorem Maria materno affectu amplectitur, nec deſerit, quouſque horrendo Judici miſerum reconciliet.* Quantæ verò eadem Sanctiſſima Virgo ſit Potentiæ, Animadverſione Vigeſimâ quintâ patebit. Quòd denique ipſa ſit futura *Objectum ſecundarium Viſionis Beatificæ* nos contemplatione perfectionis, bonitatis & amabilitatis poſt Humanitatem *Chriſti* ſummè delectantis, teſtis eſt *D.*

 Au-

(a) *l. arbitr: jud: q. caſu* 99. (b) *l.* 6. *c.* 7. (c) *Serm: de Zona.* (d) *Orat: ad V.* (e) *in Spec: c.* 5.

Auguſtinus Mariæ his vocibus applaudens: *Summa poſt Deum gloria eſt, Te videre!* Sed ſatis jam in favorem *Spei* Marianæ dictum eſto; æquum nunc eſt, ut ad Deiparam tanquam ſalutis noſtræ *Cooperatricem* nos convertamus.

ANIMADVERSIO XXIV.

Non eſt rationabili ſcandalo obnoxium, ſano ſenſu appellare Deiparam: Salvatricem & Cooperatricem humanæ ſalutis.

ANimadvertendum *Vigeſimoquartò*. Inter reliqua, quæ in *Cultoribus Marianis*, tanquam indiſcretis, reprehendit *Autor Anonymus*, eſſe, quòd audeant *Deiparam* appellare ſuam *Salvatricem*, & *Corredemptricem*. Ità enim ex temerè affictis Deiparæ Monitis eos alloquitur Monito X. *Cave nè per Hyperbolem, vel Zelum immoderatum mihi quidquam tribuas, quod ſoli DEO, vel CHRISTO debetur. Nè itaque me vocaveris Salvatricem, vel Corredemptricem &c.* Fundat autem hoc ſuum *Monitum* numero immediatè antecedenti in verbis *Vatis Iſaiæ* (*a*) ità de *Chriſto*, prout humani generis *Redemptore* loquente: *Ille torcular calcavit ſolus, & de gentibus non erat quiſquam cum eo.* Neque veretur ibidem *Marianos Cultores* increpare verbis *Apoſtoli*:(*b*) *Nunquid ego crucifixa ſum pro vobis, aut in nomine meo baptizati eſtis?* Confirmat etiam in ſua *Apologia* (*c*) teſtimonio *D. Ambroſii* (*d*) ità de *Deipara* ſub Cruce ſtante & *Chriſto* patienti compatiente, ratiocinantis: *An quia fortaſſe cognoverat per Filii mortem mundi Redemptionem Aula Regalis, (hoc eſt Beatiſſima Virgo) etiam ſuâ morte putabat ſe aliquid publico addituram muneri? Sed JESUS non egebat Adjutore ad Redemptionem omnium, qui omnes ſine Adjutore ſervavit. unde & dicit:* (*e*) Factus ſum ſicut Homo ſine adjutorio inter mortuos liber. *Suſcepit quidem affectum Parentis, ſed non quæſivit alterius auxilium.* Hucuſque *Autor Anonymus*. Verùm ex ipſis verbis Prophetæ, quæ pro ſua doctrina allegavit, facilè poteſt nimiùm arrogantis, & in odium Marianorum Clientum malè fabricati *Moniti* argui. Neque enim in citato loco *Scripturæ* habetur: *De gentibus non eſt quiſquam mecum* (quâ phraſi propter particulam: *quiſquam*, poſſet fortaſſe excludi omnis omnino purus homo, ſive is fuerit maſculus, ſive fœmina) ſed: *De Gentibus non eſt Vir mecum*, ſignanter utendo termino *Vir* ad inſinuandum piis Fidelium mentibus, fuiſſe aliquam mulierum (& quæ nam illa niſi Maria?) quæ ſibi in procuranda Redemptione generis humani fuerit aliquo modo cooperata.

Quod

(a) c. 63. (b) 1. Cor: 1. (c) pag: 30. (d) ep. 25. (e) Pſ. 87.

Digitized by Google

Quod ipſum pro more ſuo angelicè, hoc eſt ſubtiliſſimè obſervavit *Angelicus Doctor* ad citatum locum *Iſaiæ* his verbis: (*a*) *Dicit ſignanter* Vir,*propter Beatam Virginem, in qua fides nunquam defecit.* Et *Richardus à S. Laurentio. Quid eſt*, ait, *quod Dominus dicit per Iſaiam:* Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt Vir mecũ? *Verum eſt Domine, quòd non eſt vir tecum, ſed una mulier aſtat tibi Crucifixo, quæ quaſcunque plagas, quæcunque vulnera, quoſcunque dolores ſentis & ſuſcipis in tuo corpore, compatiendo ſuſcipit in viſceribus cordis ſui. Et ſicut dira lancea perforat latus tuum, ſic ejus animam pertranſeunt dolorum tuorum gladii univerſi.* Et ſic patet quemadmodum hæc mulier cooperata ſit ad ſalutem mundi. *Albertus* etiam *Magnus* (*b*) ponderans hunc locum Iſaiæ: *Quando*, inquit, *Viros excludit, conſtat quòd aliquam fœminam reliquit, quam non excluſit; quæ torcular Paſſionis ſecum ſuſtinuit, & calcavit.* Quorum *Doctorum*, & multorum aliorum SS. Patrum autoritate, nec non gravibus rationibus permotus, & inductus *Franciſcus Suarez*, (*c*) *Ferdinandus de Salazar.* (*d*) & complures alii à pietate, & doctrina inſignes Theologi, docuerunt: piè & probabiliter ſentiri, ac dici poſſe, præter *Chriſtum*, qui fuit humanæ *Redemptionis Cauſa Prima*, & *Principalis*, condignum meritorum ſuorum pretium offerendo; *Cauſam* ejuſdem *Redemptionis ſecundariam*, & *inſtrumentalem* fuiſſe Deiparam; talem Redemptionem ſuis precibus, & meritis (quamvis à meritis *Chriſti* infinitè diſtantibus) de congruo impetrando. Non quia *Chriſtus* ejus ope, & auxilio indiguerit, cùm ſanguinis ſui pretium noſtrorum delictorum compenſationem immenſo intervallo ſuperaverit; ſed quia *Matris* Autoritas, & Dignitas hoc poſtulabat, ut ejus quoque merita, vota & preces cum meritis ac votis *Chriſti* conjungerentur; & ſic ſalus hominum utrique donaretur. Quod ipſum confirmans *S. Bernardus*, (*e*) *congruum*, inquit, *erat, ut reparationi noſtræ adeſſet ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Et *Tertullianus* (*f*) in favorem *Deiparæ* loquens, ait: *æquum fuiſſe, ut quod per ejuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem redigeretur in ſalutem.* Id ipſum *Beatiſſima Virgo S. Brigitta* (*g*) revelavit, inquiens: *Sicut Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, ſic Filius meus & ego redemimus mundum quaſi cum uno corde.* Et patrocinatur huic ſententiæ cumprimis doctrina nonnullorum Recentium *Theologorum* apud P. Alarcon è Soc: Jesu (*h*) aſſerentium, & eruditè oſtendentium, probabiliter ſentiri poſſe, *Prædeſtinationem* omnium hominum, quam *Chriſtus* meruit *de condigno*, *Deiparam* meruiſſe *de congruo*. Si ergo *Gloria*, & infinitis *Chriſti* meritis,

 ni-

(a) *in Expoſ: Iſaiæ. c.* 36. (b) *q.* 148 *ſuper* Miſſus eſt. (c) *tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 25. *ſect.* 2. (d) *in c.* 8. *Prov. v.* 19. (e) *l.* 1. *ſuper illud:* ſignum magnum. (f) *l. de Carne Chriſti.* (g) *Rev. l.* 1. *c.* 35. (h) *Tract. de prædeſt. c.* 6. *n.* 3.

nihil derogavit meritum *Deiparæ* congruum, reſpectu noſtræ *Prædeſtinationis*; cur dicamus eiſdem aliquid derogaturum *meritum* congruum ejuſdem *Deiparæ* reſpectu noſtræ *Redemptionis*; cujus effectus unus è primariis eſt *Prædeſtinatio.* Quòd ſi *inquiras*, quæ nam fuerint illæ preces, & merita Sanctiſſimæ Virginis, quibus ſalutem humani generis, quam ejus Filius meruit de condigno, ipſa procuravit & impetravit de congruo? *Reſpondeo* cum ſuprà citatis Doctoribus fuiſſe continuos ardentiſſimæ Charitatis humani generis Redemptionem anhelantis affectus, & deſideria, quibus tum aliàs, tum præcipuè ſub cruce ſtans, pro obtinenda noſtra ſalute, Filium ſuum Unigenitum in ligno Crucis pendulum, Patri æterno in holocauſtum promptiſſimâ mente obtulit, & in hunc finem cum doloribus illius per omnem modum in anima ſua communicavit. Quod nè fruſtra & ſinè fundamento aſſerüiſſe videar, teſtem hujus rei habeo *primò D. Ambroſium* (*a*) apertis verbis docentem Beatiſſimam Virginem ſtando juxta Crucem exercuiſſe actum ſummæ Obedientiæ erga Deum, & Charitatis erga homines, *Filium* ſuum pro illis voluntariè *offerendo.* Quo actu, ut Autor eſt *D. Bonaventura*, (*b*) *Deum & homines ſibi, quàm maximè devinxit.* & juxta D.D. *Auguſtinum* (*c*) & *Rupertum*, (*d*) *Mater omnium Chriſti Fidelium dici promeruit*, eò quòd, ut hi *SS. Patres*, & *Doctores* loquuntur, Filio ſuo charitate cooperata ſit, ut Fideles in Eccleſia naſcerentur; & ſub cruce dolores ut parturientis ſuſtinendo, omnium noſtrûm ſalutem pepererit. Teſtem habeo *ſecundò D. Arnoldum* Carnotenſem (*e*) ità de *Beatiſſima Virgine* ſub Cruce ſtante diſcurrentem: *Omnino tunc una erat Chriſti, & Mariæ voluntas, unúmque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo: hæc in ſanguine cordis; ille in ſanguine carnis. Unde communem in mundi ſalute cum illo effectum obtinuit.* Et iterum: (*f*) *In tabernaculo illo* (Chriſto ſcilicet Patiente) *duo videres altaria: aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti; Chriſtus carnem, Maria immolabat animam. Optabat namque illa ad ſanguinem Chriſti animæ, & carnis ſuæ addere ſanguinem; & elevatis in Cruce manibus celebrare cum Filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino JESU corporali morte Redemptionis noſtræ conſummare myſterium.* Quem ſenſum videtur hauſiſſe ex *D. Epiphanio*, (*g*) qui *Beatiſſimam Virginem* ad Crucem *Filii* adſtantem *Sacerdotem ſimul, & altare* nuncupavit. *Virginem*, inquit, *appello veluti Sacerdotem pariter, & altare. Sacerdotem*, quia in morem Sacerdotis cum Filio Sacerdote ſacrificium faciens æterno Patri obtulit Redemptionis hoſtiam: *Altare*; quia Chriſtus ſemel quidem in cruce, at verò in corde illius millies mactatus fuit. Toties ſcilicet, quoties illum pro ſalute generis humani volunta-

(a) *de inſtit c. 7. & epiſt. 48.* (b) *in 1. diſt 48 q. ult.* (c) *lib de Virg. c. 6.* (d) *l. 3. in Ioan. c. 19.* (e) *Tract. de laud. V.* (f) *Tract. de Verb. Chriſti in Cruce.* (g) *ſerm. de laud. V.*

Digitized by Google

tariè addixit. Teſtem habeo *tertiò D. Bernardum.* (*a*) *O mira,* inquit, *circa nos utriuſque parentis JESU Chriſti pietatis dignatio! O inæſtimabilis Dei & Virginis dilectio Charitatis! Qui, ut ſervum redimerent, Filium tradiderunt; propter nimiam Charitatem, quâ Deus & Virgo nos miſeros dilexerunt.* Teſtes habeo *quartò SS. Auguſtinum, Damaſcenum, Oecumenium, Gregorium Niſſenum, Bedam,* & alios, quorum loca affert *Ferdinandus de Salazar,* (*b*) aſſerentes Beatiſſimam Virginem Chriſti Filii ſui mortem amore in Deum, & charitate in genus humanum, mortem ſuam eſſeciſſe; & ſic eidem commoriendo pro noſtra ſalute mortuam fuiſſe; conformiter ad illud Canticorum: (*c*) *Fortis eſt, ut mors dilectio.* Teſtem habeo *quintò* Seraphicum Doctorem *Bonaventuram.* (*d*) *Nulla,* inquit, *poſtea Creatura ità per amorem noſtrum exardeſcit, ſicuti MARIA, quæ amantiſſimum Filium ſuum, & unicum quem plus ſe ipsâ amavit nobis dedit, & pro nobis obtulit.* Et iterum: (*e*) *Nullo modo dubitandum eſt, quin virilis MARIÆ animus, & ratio illius conſtantiſſima voluerit etiam tradere Filium ſuum pro ſalute generis humani, ut Mater per omnia eſſet conformis Patri, & Filio. Patri* quidem juxta illud Pauli: (*f*) *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Filio* verò juxta alterum ejuſdem Apoſtoli: (*g*) *Per Spiritum Sanctum ſemet ipſum obtulit immaculatum DEO.* Ut proinde ſicuti de DEO Patre dicitur: (*h*) *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*: ità idem non incongruè dici poſſit de *MARIA.* Cui doctrinæ ſubſcribens *S. Antonius* Archiepiſcopus Florentinus, (*i*) *Virgo,* inquit, *ità Divinæ Voluntati conformis fuit, & ſalutis humani generis avida, ut dicere audeam, quòd ſi nullus fuiſſet, qui Filium crucifigeret, ad hoc ut ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur Voluntas Dei, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſet in Crucem. Neque enim credendum eſt minoris fuiſſe perfectionis & obedientiæ ad DEUM, quàm Abraham, qui proprium Filium obtulit DEO in Sacrificio propriis manibus occidendum & comburendum.* Teſtem denique habeo Doctiſſimum Præſulem *Abulenſem* (*k*) dicentem: *Virgo in tempore Paſſionis ex Charitate magna, quâ eam repleverat Spiritus Sanctus, ardenter diligebat ſalutem humani generis; cùm ergo eum vidit patientem, admirabiliter conſolabatur; quia certiſſimè videbat factam generis humani Redemptionem.*

Quod porrò concernit magnitudinem dolorum, quos Sanctiſſima *Virgo* ex acerbiſſima *Filii* ſui Paſſione participavit, & *Patri* æterno pro impetranda, & de congruo merenda humani generis Redemptione conſecravit: de iis loquens *B. Laurentius Juſtinianus,* (*l*) *Cor,* inquit, *ejus clariſſimum Paſſionis Chriſti ſpeculum,*

(a) *Serm. 51. c. 4.* (b) *ſuprà.* (c) *Cant. 8.* (d) *ſerm. 1. de B.V.* (e) *in 1. diſt. 48. q. 2.* (f) *ad Rom. 8* (g) *ad Hebr. 9.* (h) *Ioan. 8.* (i) *4 p. tit. 15. c. 41. §. 1.* (k) *in c. 9. Deuteron* (l) *de triumphal. Agon. Chriſti c. 21.*

Digitized by Google

& perfecta mortis imago effectum erat. Et *D. Bernardus*: *Vulnera*, ait, *Chriſti morientis, erant vulnera Matris dolentis.* Sed & ipſa Sanctiſſima *Deipara* dixit D. *Brigittæ*: (*a*) *Dolor Chriſti erat dolor meus; quia cor ejus, erat cor meum. Sicut enim Adamus & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo; ſic Filius meus & Ego redemimus mundum quaſi uno corde.* Quam itidem dolorum communionem per *Metaphoram* declarare volens ſæpe citatus *Arnoldus Carnotenſis*: *Quot*, inquit, *dolorum flumina Filium obruere videbantur, totidem in Matris viſcera redundabant.* Cujus Metaphoræ ex omnium fluminum in mare redundantium exemplo deſumptæ myſterium & ſenſum interpretans non nemo piiſſimus juxta ac doctiſſimus ævi noſtri Scriptor: *Finge*, inquit, *Deum* (*quod Omnipotentiam ejus non excedit*) *ſcypho uno incluſum totum maris oceanum alicui ebibendum propinâſſe. An non ille ſale immenſo ſe prolueret, atque in toleranda amaritudine oppreſſum perſentiret? Simile quid tu cogita de doloribus Beatiſſimæ Virginis, cui multi Sanctorum Patrum accommodant illud Jeremiæ*: (*b*) *Cui comparabo Te? vel cui aſſimilabo Te Filia Jeruſalem? Magna eſt velut mare contritio Tua.* Quæ ultima verba ſeptuaginta interpretes verterunt: *Magnificatum eſt poculum contritionis tuæ*: quaſi voluiſſent dicere; in poculo Contritionis ſeu doloris, quod ſub ænigmate *Filiæ Jeruſalem*, hoc eſt *Jeroſolyma, DEUS Deiparæ* ſub cruce ſtanti obtulit, quintam (ut ſic loquamur) omnium dolorum & amaritudinum eſſentiam fuiſſe ei ad epotandum propoſitam & propinatam. Et quia eundem locum *Vatis Jeremiæ*: *Magna eſt velut mare contritio tua*, Chaldæus Paraphraſtes vertit: *Magna eſt velut Gigas contritio tua*; poteris non incongruè dicere omnes alios cruciatus & dolores, quos Sancti Martyres aut Confeſſores pro Chriſto tolerârunt, fuiſſe comparatione cruciatuum & dolorum, quos Virgo in Chriſti Filii ſui Paſſione ſuſtinuit, tam exiguos, quàm comparatione magni alicujus Gigantis ſunt nani & pygmæi. *Quidquid* (verba ſunt (*c*) *D. Anſelmi*) *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut nihil comparatione tuæ ô Virgo Paſſionis.* Quæ omnia ſecum accuratiùs expendens *Franciſcus Suarez*, (*d*) non præſumit improbare piam & eruditam multorum Doctorum (*e*) Sententiam aſſerentium *Beatiſſimam Virginem*, quamvis violentam mortem paſſa non fuerit, verè tamen & propriè cum *Chriſto* patiente & moriente, *Martyrem effectam eſſe*, & *Martyrii laureolam*, ſupra omnes alios *Martyres* meruiſſe: atque ideò non immeritò *à SS. Hieronymo*, (*f*) *Ildephonſo*, (*g*) *& Bernardo*, (*h*) *Martyrem & pluſquàm Martyrem*; à S. verò Ephrem (*i*) *Martyrum honorem ac decus* fuiſſe compellatam.

Li-

(a) *l.* 1 *Revel. c.* 35. (b) *Thren.* 2. (c) *de Excell. V. c.* 5. (d) *Tom.* 2. *in* 3. *p. diſ.* 21. *Sect.* 4. (e) *Valentia, Spinellus, Malonius, Henricquez, Mendoſa & alii.* (f) *Serm. de Aſſumpt.* (g) *ſerm.* 2. *de Aſſumpt.* (h) *ſerm. ſuper* ſig. mag. (i) *Orat. ad V.*

Licèt enim (ità ex ſenſu & mente horum *Patrum & Doctorum* diſcurrit citatus Suarez) *Chriſti interfectores directè non intenderent illam propter Chriſtum affligere, tamen re ipſâ perſequendo Chriſtum, ipſam perſequebantur, & occidendo Chriſtum quantum in ipſis erat, eam interficiebant. Qui modus Paſſionis & perſecutionis ſufficiens eſt ad Martyrium; uti conſtat in Innocentibus, qui verè fuerunt Martyres, quamvis perſecutores non intenderent eos occidere propter Chriſtum, ſed ſolum interficere Chriſtum. Ergò ex hac parte ſufficienter paſſa eſt Beatiſſima Virgo propter fidem & propter Chriſtum. Aliundè verò ſuſtinuit dolorem ſufficientem ad inferendam mortem corporis, niſi ſpeciali DEI auxilio fuiſſet ſuffulta; ergò poteſt dici Martyr.*

Verùm quia non deſunt alii complures à pietate & doctrinâ inſignes *Theologi ac Doctores* (a) qui exiſtiment *Beatiſſimam Virginem, verè ſtrictè ſumptam Martyrii Aureolam* non obtinuiſſe; præſentem controverſiam, (quæ potiùs videtur eſſe de *nomine*, quàm de re; quæritur enim quid ſignificetur hoc termino: *Aureola Martyrii*) ità ſuis verbis componere nititur immediatè memoratus *Suarez. Hæc*, inquit, *controverſia parvi momenti eſſe videtur: nam in gloria eſſentiali conſtat habere Virginem, quidquid reſpondere poteſt perfectiſſimo Martyrio: tum propter diſcurſum paulo antè factum; tum quia animo & voluntate paratiſſima fuit ad mortem pro Chriſto ſubeundam. Quod verò pertinet ad accidentalem ornatum ſeu decorem, qui* Aureola *dicitur, etiam videtur certum, aliquid peculiare habere B. Virginem in hoc genere, quod eſt veluti inſigne quoddam excellentiſſimæ fortitudinis & charitatis ejus, ſive hoc dicatur* Aureola Martyrii, *ſive aliquid eminentius illâ. quod videtur propriùs ac veriùs dici. Quemadmodum etiam veriſimile eſt, ob Dignitatem Matris Dei, & egregium pietatis opus, quod B. Virgo in Chriſtum exercuit, habere ipſam ſingularem aliquem ſplendorem ac decorem, qui perfectior ſit, quàm omnis aureola, qui tamen inter aureolas non connumeratur, ſed perfectio quædam eſt altioris rationis.* Hactenus *Suarez*. Porrò ex hactenus dictis, non obſcurè patet, *Primò*: potuiſſe *Beatiſſimam Virginem* ſub *Filii* cruce ſtantem ſibi uſurpare illud *Apoſtoli*: (b) *Chriſto confixa ſum cruci*, & *Autorem Anonymum* potuiſſe illi, omiſſo *Hæreticorum* ſarcaſmo, concedere hanc aſſertionem: *Crucifixa ſum pro vobis.* Potuiſſe item ipſam longè potiori Jure quàm *Paulum Apoſtolum* uſurpare verba illa: (c) *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea.* Siquidem *Paulus* ſolummodò multas miſerias & perſecutiones in propagatione Evangelij patiendo (quo ſenſu ipſum *Chriſti* Paſſionem adimpleviſſe docent ſacræ Scripturæ interpretes) *Maria* verò eoſdem cum *Chriſto* pa-

(a) *Salas, Sotus, Corduba, Abulenſis, Raynaudus & alii.* (b) *ad Galat. 2.* (c) *ad Coloſſ. 1.*

Digitized by Google

patiente dolores internè ſuſtinendo ſalutem noſtram procuravit. Patet *Secundò*, *Autorem Anonymum* Monito X. perperàm arguiſſe & erroris damnaviſſe Sanctos *Patres Auguſtinum*,(*a*) *Irenæum*,(*b*) *Hieronymum*, (*c*) *Anſelmum*,(*d*) *Ildephonſum*,(*e*)*Gregorium Nazianz*:(*f*) *Ephrem*,& alios appellantes *Deiparam: Salutis humanæ & perditi Orbis Reparatricem* ; *Redemptionis Adjutricem* ; *Mundi Recuperationem & Evæ Redemptionem* ; *Cauſam & Auctricem Salutis*; *Progenitoris Adam Reſurrectionem* ; *Totius deniq; univerſi Conciliationem*. Neq; enim mentis horum *SS. Patrum* fuit, ſimiles titulos tribuere *Deiparæ*,tanquam Cauſæ noſtræ ſalutis & Redemptionis *Primariæ ac Principali*,ſed tantùm per modum cauſæ Secundariæ & inſtrumentalis, juxta ſenſum hactenus explicatum ; qui ſi bene obſervetur, facile erit occurrere argumento ex *D. Ambroſio* (*g*) in odium & Diminutionem Cultûs Mariani ab *Autore Anonymo* in ſua *Apologia* (*h*) adducto. Fatemur enim libentiſſimè *Chriſtum* in ſalvando & redimendo generè humano ope & auxilio ſuæ *Matris* nequaquam indiguiſſe ; negamus autem ejuſdem *Matris* merita & preces *per modum meriti* & impetrationis de congruo in conſortium meriti de condigno *à Filio exhibiti* (prout abſolutè facere potuit) adlecta & adſcita non fuiſſe. Patet *Tertiò*,longè potiori titulo potuiſſe à Sanctis *Patribus Deiparam*, nuncupari *Salutis humanæ Corredemptricem & Reſtauratricem* , quàm *Eva* ab iiſdem (nullo quod equidem ſciam improbante) fuerit appellata *Salutis humanæ Perditrix*, *Vitæ Deſtructrix*, & *Poſterorum in captivitatem Diaboli aſſertrix*. Siquidem Eva ad generis humani perditionem non concurrit niſi remotè & *per accidens* (fructum ſcilicet vetitum laudando, & ad ejus eſum *Adamum* maritum ſuum alliciendo & invitando) *Maria* verò *proximè* & *immediatè* ſaluti noſtræ,& humani generis Redemptioni cooperata fuit,non ſolùm *Chriſto* pretium Redemptionis de ſuo ſanguine ſuppeditando, verùm etiam eidem quouſq; opus Redemptionis abſolveretur, magno affectu miniſtrando , juvando , & quantum in ipſa fuit, uſque ad conſummationem in cruce conſtanter aſſiſtendo; & cum illo in animo patiendo. De qua *Evam* inter & *Mariam* comparatione loquens *Tertullianus*, (*i*) *Quod Eva*, inquit, *credendo ſerpenti deliquit ; Maria Gabrieli credendo delevit*. *Et D. Auguſtinus* : (*k*) *Malum mundo venit per fæminam : imò per fæminam bonum. Quia ſi per Evam cecidimus, per Mariam ſtamus ; per Evam proſtrati, per Mariam erecti ; per Evam Servituti dati, per Mariam liberi effecti. Eva nobis ſuſtulit diuturnitatem; Maria nobis reddidit perpetuitatem. Eva nos damnari fecit per arboris pomum ; Maria nos abſolvit, per arboris donum.* Et iterum: (*l*) *Eva damna-*

(a) *l. de fid. ad Petr.* (b) *l. 2. contra Hæreſ. c. 38.* (c) *ſerm. de Aſſumpt.* (d) *de Excell. Virg. c. 11.* (e) *ſerm. de Aſſumpt.* (f) *homil. in Evang de Deipa.* (g) *Epiſt. 25.* (h) *pag. 30.* (i) *l. de Carne Chriſti c. 17.* (k) *ſerm. 11. de Natali D.* (l) *ſerm. 2. de Annunc.*

Digitized by Google

mnavit; Maria ſalvavit. Illa occidendo obfuit; iſta vivificando profuit. Illa omnes carnaliter generavit in mundum; Iſta ſpiritualiter regeneravit in Cœlum. Illa gratiam perdidit; Iſta gratiam invenit. Illa Viro ſuo fuit occaſio perditionis; Hæc Viro, id eſt Chriſto, Adjutorium Redemptionis. D. quoque *Maximus*: *Vita*, ait, *quam deſtruxerat Eva, reparat Virgo Maria.* *Et D. Hieronymus*: (*a*) *Mors per Evam, vita per Mariam.* S. denique *Bernardus*, (*b*) *Prudentiſſimus*, inquit, *& clementiſſimus Artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed utilia omnino refecit; ut videlicet novum nobis Adam transformaret ex veteri, & Evam transfunderet in Mariam.* Quibus ſimilia habent *S. Chryſologus*, (*c*) *Epiphanius*, (*d*) *Juſtinus*, (*e*) *Sophronius*, (*f*) & alii. Patet *quartò*, meritò potuiſſe ab *Eccleſia* inſtitui, & defactò in Regno Bohemiæ ad inſtantiam *Auguſtiſſimi Leopoldi Romanorum Imperatoris, nec non Hungariæ ac Bohemiæ Regis*, inſtitutam eſſe Feſtivitatem *Matris Doloroſæ*, in honorem Dolorum *Deiparæ*, Dominicâ quartâ poſt ferias Paſchales celebrandam. Convenit enim, ut dolorum illius, quibus Saluti noſtræ cooperata fuit, & Filii ſui cruci adſtans materno affectu æternæ vitæ nos regeneravit, grati meminerimus: & ſicuti diem paſſionis aliorum Martyrum (putà *Joannis, Laurentii, Stephani*, & ſimilium) ità etiam *Reginæ Martyrum MARIÆ* piâ veneratione recolamus; nullatenus ambigentes, quòd ſicuti Filio nihil gratius accidit, quàm memoria ſuæ *Paſſionis*, ità nihil *Matri* acceptius futurum ſit, quàm recordatio ejuſdem *Compaſſionis*. Et ideò Congregationem in honorem ſeptem Dolorum Beatiſſimæ Virginis ante annos pluſquam ducentos à Philippo cognomine pulchro Caſtellæ Rege inſtitutam, confirmârunt, & compluribus beneficiis dotârunt: *Alexander VI. Leo X. & Paulus V.* Cui poſtea nomina ſua dederunt *Maximilianus I. & Carolus V.* Auguſtiſſimi Romanorum Imperatores, *Philippus & Chriſtiernus* potentiſſimi Reges, *Albertus & Iſabella* Sereniſſimi Archiduces, & plurimi alii à Nobilitate, ſapientia, & opibus inclyti Viri ac mulieres. Eandem in Bavariam induxit Sereniſſima *Magdalena Ducissa Bavariæ*, & in Bohemiam Brzeznicium Patres *Societatis JESU*, ac noviſſimè *Pragam*, Reverendi *Patres Servitæ*; qui veſtes atras, quas *Deipara* primis ejus Ordinis Inſtitutoribus per quietem præmonſtravit, in hujus Virginis mœroris ac dolorum laudem & memoriam induendas elegerunt. Diſplicebunt nihil dubito *Autori Anonymo* hæc, quæ ad amplificandū *Deiparæ* Cultum, ex occaſione Dolorum illius, à me adducta ſunt; utpote qui eundem eradicatum malit, quàm propagatum. Sed nihil me movent (*Vatiniana* dicam, an *Janſeniana* ipſius contra *Deiparæ* & Sanctorum Cultores odia) dummodò ex hoc meo qualiquali

Q labo-

(a) *Epiſt. ad Euſtoch.* (b) *ſerm. ſuper* Sig. mag. (c) *ſerm.* 246. (d) *Hæreſ.* 78. (e) *Dialog. cum Triſon.* (f) *ſerm. de Aſſumpt.*

labore conſequatur aliquid illius fructûs, de quo in ſimili cauſa & ſtudio gloriatus fuit *D. Bernardus* ità fatus : *Contriti ſunt Mariæ inſidiatores, conculcati ſunt ſupplantatores, confutati ſunt derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes ; dum in nomine ejus omne genu flectitur, Cœleſtium, Terreſtrium & Inferorum.*

ANIMADVERSIO XXV.

Non eſt Error, aut Blaſphemia Deiparam in ſuo ſenſu vocare Omnipotentem.

ANimadvertendum *Vigeſimoquintò.* Nihil eſſe æquè familiare hominibus doctis juxta, ac indoctis, ac eos, qui apud Reges, aut Principes tantæ ſunt autoritatis, ut ſuâ interventione eorum animos in omnem partem facilè inflectere, & ad condeſcendendum ſupplicum votis, ac deſideriis commovere poſſint, vocare *Omnipotentes.* Sic enim Amanum, antequam Regiâ gratiâ excideret in Aula Aſſveri Omnipotentem fuiſſe, dicunt *SS. Patres* ; & *Helenam Imperatricem* apud Conſtantinum filium tanquam Omnipotentem deprædicat *Euſebius* in hiſtoria Eccleſiaſtica ſui temporis. Ex quo facilè intelliges malignum *Autoris Anonymi* ingenium, qui inter reliqua *Marianos Clientes* traducendi, & perſtringendi argumenta, hoc etiam aſſumpſit, quòd auſint *Deiparam* non ſinè tacita blaſphemia dicere, & facere *Omnipotentem.* Quaſi verò ignorare potuerit, neque *Sanctos Patres*, neque *Marianos Clientes*, qui titulo *Omnipotentis Deiparam* decorârunt, fuiſſe locutos de *Omnipotentia Phyſica*, quæ conſiſtit in virtute producendi, quidquid non implicat ; Sed *Omnipotentia Morali*, quæ ſita eſt in expedita, & facili quidvis (quod à præſenti naturalis, aut ſupernaturalis Providentiæ diſpoſitione, & ordine non abhorret) à Deo impetrandi poteſtate & facultate. Neque enim cura fuit Sanctis *Patribus* immiſcere ſe ſubtilibus *Theologorum* Diſputationibus *de communicabilitate Divinorum attributorum cum Creaturis*, quorum unum è primariis eſt, *Omnipotentia* ; aut velle docere Deiparam ità fuiſſe, ratione *Maternitatis Chriſti DEI* ſimul *& hominis*, redditam Omnipotentem per *Omnipotentiam* ſibi aſſiſtentem, ſicuti Humanitas ejuſdem Chriſti fuit reddita *formaliter infinitè ſancta*, per infinitam *Sanctitatem Verbi ſibi hypoſtaticè* uniti ; ſed ſolummodò ad augendam *Fidelium* erga Sanctiſſimam Dei Genitricem fiduciam, & declarandam ejus gloriam, tribuere illi vires *in genere moris*, hoc eſt in ordine ad impetran-

tran.

Digitized by Google

trandum, & nobis apud *Deum* ſuâ interceſſione ſuccurrendum, quaſi Omnipotentes, & inſuperabiles, prout ex verbis eorundem in decurſu hujus Animadverſionis adducendis evadet manifeſtum. Adde, neque in *Sanctos Patres* potuiſſe, neque in ullum, vel modicè ſupra vulgus eruditum, *Mariæ Clientem* cadere poſſe hunc errorem, ut exiſtimet alicui puræ Creaturæ (qualis eſt *Deipara*) poſſe communicari *Omnipotentiam Dei ſimpliciter, & ſecundùm totam perfectionem, quam in ſe continet.* Ad hanc quippe duo eſſentialiter pertinent: *unum*, ut *intra ſphæram ſuæ activitatis* omnia factibilia per modum *Cauſæ Principalis* comprehendat: *alterum*, ut *in modo agendi* ſit à quocunque concurſu agentis ſuperioris omninò *independens*: quorum neutrum puræ Creaturæ convenire poſſe notum eſt, ex ipſis terminis; ſiquidem implicat puram Creaturam eſſe principium productivum omnium producibilium (ſic enim deberet poſſe etiam producere ſeipſam) aut eſſe Cauſam Principalem rerum ſupernaturalium, aut non dependere in ſua actione à concurſu Divino. Ex quo rectè inferunt citatus D. *Thomas*, (*a*) & *Theologi*, nè quidem *Humanitati Chriſti* potuiſſe communicari hoc prædicatum *Omnipotentiæ*, & reddi ipſam per Unionem ad Verbum *formaliter Omnipotentem*, quamvìs hoc titulo *per communicationem Idiomatum* à nonnullis Sanctorum Patrum quandoque condecoretur. Secùs ſe res habet cum *Omnipotentia Morali*, prout dicit virtutem, & facultatem de congruo merendi, aut impetrandi, quidquid poteſt ſub meritum congruum, vel impetrationem cadere. Hanc enim poſſe Creaturæ de potentia abſoluta convenire, & in Chriſto defactò extitiſſe, conſtans eſt multorum doctiſſimorum Theologorum opinio. Sed neque hanc moralem Omnipotentiam, ſub terminis adeò generalibus, & in tota ſua latitudine ſumptam neceſſe eſt, ad ſalvandam Sanctorū *Patrum Deiparam Omnipotentē* appellantium mentē, eidem attribuere; ſufficit enim ſi (quemadmodum initio indicatum eſt) dicamus Sanctiſſimam hanc Virginem, quoad vim de congruo merendi, & impetrandi ſupra omnes alios Sanctos, & Dei Amicos incomparabiliter eminere & excellere. Quod rectè & rationabiliter dici poſſe nemini Orthodoxorum de Excellentia Deiparæ debitè ſentientium, poteſt facilè in dubium venire. Cùm enim vis merendi & impetrandi tam in humanis, quàm in divinis, cæteris paribus, fundetur præcipuè in Excellentia, & Dignitate perſonæ merentis, aut preces, & poſtulationes ſuas interponentis; potéſtne rationabiliter dubitari, poſtulationes & interventiones *Deiparæ* eſſe ſupra omnium aliorum *Sanctorum* deſideria, & poſtulationes longè potentiſſimas, & efficaciſſimas; cùm ex dicendis Animadverſione

(a) 3. p. q. 13. art. 4.

Digitized by Google

ne ſequenti ſatìs conſtet, ejus Dignitatem & Sanctitatem eſſe, omni perfectione, *Unione Hypoſtaticâ*, puræ creaturæ communicabili majorem & ſuperiorem. Ad quod attendentes *Sancti Patres*, cumprimis verò *D. Anſelmus*, (*a*) *Sanctiſſimam Virginem* ità alloquitur: *Te ſic Deus exaltavit, ut omnia ſecum poſſibilia eſſe donaverit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit.* Quod idem eſt ac dicere: *Deiparam* adeò potentem eſſe per impetrationem, quàm eſt Deus per ſuammet Omnipotentiam. Divus verò *Germanus* Patriarcha Conſtantinop: (*b*) *Potens eſt*, ait, *tuum auxilium ô Deipara, ad ſalutem, & non indiget aliquo alio ad Deum interceſſore.* Et iterum: *Omnia tua admirabilia ſunt, ô Deipara, omnia ingentia & aliorum vires ſuperantia: propterea, & patrocinium tuum majus eſt, quàm intelligentiâ apprehendi poſſit.* D. item *Petrus Damiani*, (*c*) *Fecit*, inquit, *Tibi magna qui potens eſt, & data eſt Tibi omnis poteſtas in cœlo* & *in terra. Et nihil Tibi impoſſibile eſt, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem ſalutis revocare.* Ut proinde non ſinè ſolido fundamento ſcripſerit Doctiſſimus *Franciſcus Suarez*: (*d*) *Si cogitatione fingamus Beatam Virginem aliquid poſtulare, totámque Curiam Cœleſtem illi reſiſtere; (ſicut apud Danielem (e) unus Angelus altari reſiſtebat) potentior eſſet, majoríſque efficacia, & valoris apud Deum, unius & ſolius Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio.* Solus namque hic titulus eſſe *Matrem DEI*, Autore & Doctore Seraphico *Bonaventurâ*, (*f*) Sanctiſſimæ Virgini ampliſſimam ad quidvis in Cœleſti curia, præ omnibus aliis Sanctis exorandum, & impetrandum tribuit poteſtatem. *Quia* (verba ſunt Doctoris Seraphici ad Deiparam) *Dominus potentiſſimus tecum eſt, juxta illud*: (*g*) *Fecit mihi magna, qui potens eſt: ideò & Tu es Potentiſſima ſecum; Potentiſſima es per ipſum; Potentiſſima apud ipſum; ità ut verè dicere poſſis illud Eccleſiaſtici*: (*h*) *In Jeruſalem poteſtas mea.* Et *D. Germanus* Patriarcha Conſtantinop: (*i*) *Habes cum tua voluntate concordantem potentiam, ut quæ ſis Mater Altiſſimi.* Firmat id ipſum *Angelicus Doctor Thomas in ſuis opuſculis.* (*k*) Poſteaquam enim docuiſſet Beatiſſimam Virginem ex vi *Maternitatis Divinæ* eſſe plenam gratiâ, non ſolùm quantùm ad ſe, verùm etiam quantùm ad refuſionem in omnes homines; ſubdit: *In omni periculo potes obtinere ſalutem ab ipſa Virgine glorioſa; unde mille clypei* (*l*) *id eſt, remedia contra pericula pendent ex ea.* Itèm, *In omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium, & ideò dicit ipſa Eccleſiaſtici* 24. *In me omnis ſpes vitæ & Virtutis.* Quod ipſum etiam docuit Sapientiſſimus ac Sanctiſſimus *Idiota* Clientem Marianum ad *Deiparæ* Cultum, & Venerationem incitans his verbis: (*m*) *Accede per de-*

vo-

(a) *lib. de Excell. V. c.* 12. (b) *ſerm. de Zona.* (c) *ſerm. de Nativit.* (d) *Tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 33. *Sect.* 2. (e) *Dan. c.* 10. (f) *in ſpecul. c.* 8. (g) *Lucæ* 1. (h) *c.* 24. (i) *Orat. de oblat. Deip.* (k) *Opuſ.* 8. (l) *Cant.* 4. (m) *in Prolog. lib. de B. V.*

Digitized by Google

votam mentis contemplationem ad glorioſam Virginem Mariam Matrem Jeſu; quia per Ipſam, in Ipſa, cum Ipſa, & ab Ipſa habet mundus, & habiturus eſt omne bonum. Eodem faciunt multa alia *Sanctorum Patrum* teſtimonia *Deiparæ* Potentiam ſupra modum extollentia, quorum fundamentum eſſe *Maternitatem Theandricam*, cuilibet ea accuratiùs expendenti facilè eluceſcit. Neque præteriri debet hoc loco tenerrimus, & juxta *SS. Patres*: *Anſelmum*, *Ildefonſum*, *Andream Cretenſem*, *Bernardum*, & alios humanâ voce, aut calamo ineffabilis *Filii Dei* erga *Matrem* ſuam amoris, & obſervantiæ affectus: quem ſi cum Salomonis erga Matrem ſuam Berſabee, aut Aſſueri erga Eſtherem affectu, & obſervantia conferas, facilè advertes *Clientes Marianos* poſſe jure merito ſupponere, *Chriſtum* idem reſpondere *Matri* ſuæ pro nobis ſupplicanti, quod *Berſabee pro Adonia* deprecanti repoſuit *Salomon*: (*a*) *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* Et illud quod Reginæ Eſther pro ſalute ſuæ gentis intervenienti reſpondit *Aſſuerus*: (*b*) *Quid ultrà poſtulas, & quidvis, ut faciam tibi?* Quo argumento inducti non pauci Viri pii, ac docti judicârunt Beatiſſimæ Virgini pauculis mutatis, poſſe non incongruè aptari illud Proverbiorum: (*c*) *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* legendo: *Cor Regis Chriſti in manu Mariæ, quocunque voluerit, inclinabit illud. Quomodo* enim (libet ità argumentari (*d*) cum *D. Petro Damiani*) *Illa poteſtas, ô Virgo, tua potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua carnis ſuſcepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare non ſolùm rogans, ſed imperans, Domina, non ancilla.* Quibus verbis Sanctus Doctor Potentiam & efficaciam precum Virginis, per Metaphoram exaggerat, ſicuti ad exaggerandam efficaciam precum quibus Joſue (*e*) Iſraëlitis contra Gabaonitas pugnantibus prodigioſam Solis ſtationem imperavit, & impetravit, dicitur à Scriptore Sacro Deus voci Joſue obediviſſe, & imperium ejuſdem acceptâſſe: *DEO* (verba ſunt *Scripturæ*) *obediente voci hominis.* Quo etiam ſenſu dixit *S. Methodius*: (*f*) *Deiparam* præ reliquis omnibus *Sanctis*, habere titulo Materni honoris *maximam cum Deo colloquendi, ac pro nobis intercedendi libertatem.* Utrùm autem præter *Omnipotentiam Moralem* quidvis apud *Deum* impetrandi, tribui inſuper poſſit, aut debeat *Deiparæ Potentia Phyſica patrandi miracula*; qualem in *Chriſto* non ſolùm quà *DEO*, verùm etiam quà *Homine* extitiſſe, ex variis locis *Scripturæ*, præſertim verò ex illo: (*g*) *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & (*h*) *Tetigit me aliquis; nam Ego novi virtutem de me exiiſſe*, *Phyſicum influxum* denotantibus, probabiliter adſtruunt plerique *Theologorum cum D. Thoma* (*i*) & col-

(a) 3. *Reg.* 2. (b) *Eſther c.* 9. (c) *c.* 21. (d) *ſerm. de Nativ.* (e) *l. Ioſue c.* 10. (f) *Orat. in Hypapant.* (g) *Lucæ c.* 6. (h) *Lucæ c.* 8. (i) 3. *p. q.* 12. *art.* 1. & 2.

Digitized by Google

colligitur tum ex *Sanctis Patribus* (quorum loca afferunt, & accuratè expendunt *Franciſcus Suarez*,(*a*) *Tanner*, (*b*) & alii) tum ex *Concilio Epheſino* (*c*) definiente *carnem Chriſti propter Unionem ad verbum fuiſſe vivificatricem*, id eſt habuiſſe virtutem phyſicam quâ poſſet facere miracula. Utrùm inquam, *virtus phyſica patrandi miracula* (de morali enim jam conſtat ex dictis) *Deiparæ* concedi, aut adſcribi debeat, ego deficiente mihi ſufficiente autoritate, definire non præſumo. Ut tamen in hanc Sententiam valdè propendeam, non parum me movent tum Dignitas, & Excellentia *Matris DEI*, tum multa alia privilegia *Deiparæ cum Chriſto Filio* ſuo communia. Neque parum ponderis addit Revelatio facta *D. Gertrudi* (*d*) in feſto Annunciationis Deiparæ; in qua cœlitus ei monſtratum & revelatum eſt: *ab eo momento, quo Beatiſſima Virgo acceptâ Angeli ſalutatione, in Matrem Dei electa fuit, & Filium Dei in Virginali ſuo utero concepit, donatum ipſi fuiſſe ex ſpeciali influxu Sanctiſſimæ Trinitatis, ut eſſet Potentiſſima poſt Patrem, Sapientiſſima poſt Filium, & Benigniſſima poſt Spiritum Sanctum.*

Ut ut res ſe habeat, mihi ad extollendam, & perſuadendam intellectui, atque affectui erga Deiparam bene affecto, ejuſdem Potentiam tam Moralem, quàm Phyſicam ſufficit, quòd ſicuti in Nomine *JESU*, ità in nomine *MARIÆ* plurima quotidie patrari videamus miracula: hoc enim majoris eſſe virtutis, quàm ex propria perſona miracula facere, docet *D. Chryſoſtomus* (*e*) ad illa verba Chriſti; (*f*) *In nomine meo Dæmonia eiicient.* his verbis: *Non tam mirabile fuit, quòd Chriſtus vivus miracula faceret, quàm quòd ipſo mortuo, alii in nomine ejus majora operarentur. Quod factum legimus dum ſolo nomine JESU invocato, & Dæmones fugari, & mors pelli viſa fuit.*

ANIMADVERSIO XXVI.

Quo ſenſu Deipara à Doctore Angelico, & nonnullis SS. Patribus dicta fuerit Creatura, quâ Deus meliorem facere non poſſit.

ANimadvertendum *Vigeſimoſextò*. *Autorem Anonymum* in eo etiam fuiſſe circa Cultum *Deiparæ* cum multis tum veteribus, tum novis *hæreticæ pravitatis Sectatoribus Phariſaicè* ſcandalizatum, quòd auderent eam non ſolùm aliqui imperiti de vulgo, verùm etiam Theologiæ Angelus *Thomas*, Seraphicus Doctor *Bonaventura*, Cantuarienſis Archi-præſul *An-*

(a) *Tom. 1. in 3. p. diſp. 39. Sect. 3.* (b) *in 3. p. diſp. 145. dub. 7.* (c) *Canon. 11.* (d) *l. 4. Revel. c. 12.* (e) *homil. 62. in Ioan.* (f) *Marci 16.*

Digitized by Google

Anſelmus, & complures alii à ſanctitate & doctrinâ celebres, ac famoſi, divinioris Sapientiæ Magiſtri, aſſerere eſſe *Creaturam, quâ meliorem Deus facere non poſſit*. hoc eſt, prout interpretari videtur citatus Autor omnium poſſibilium Creaturarum nobiliſſimam, & perfectiſſimam. Quæ doctrina non ſolùm gentium Doctori *Paulo* (*a*) docenti: *quòd Deus poteſt facere omnia abundantiùs, quàm petimus, aut intelligimus*; verùm etiam communiori, & in Scholis paſſim receptæ *Philoſophorum* ſententiæ: *Illimitationem Divinæ Omnipotentiæ, & repugnantiam Creaturæ, quâ Deus meliorem, & perfectiorem facere non poſſit*, acerrimè propugnanti è diametro adverſatur. Verùm facillimum eſt ingenio, nulli ſiniſtro contra Orthodoxos Deiparæ Cultores affectui obnoxio, omnes hos tum ſanctos, tum ſanos Eccleſiæ Doctores à calumnioſa *Autoris Anonymi* impoſtura vindicare; ſi adductis in medium, & probè expenſis eorundem locis advertatur, ipſos nequaquam de *Deipara intrinſeca, & eſſentiali*, ſed perfectione quaſi *extrinſeca* ſeu dignitate proveniente *ex Relatione Maternitatis DEI*, ſermonem habuiſſe, & ex eo, quòd titulo hujus Maternitatis *Deipara* nacta eſſet ſupremam quandam (*demptâ ſolâ Unione hypoſtaticâ*) Conjunctionem & Affinitatem cum Perſona ſimpliciter infinita, intuliſſe, aſcendiſſe ſimul ad gradum altioris Dignitatis, quàm poſſit aſcendere quævis pura Creatura ſimilis Maternitatis privilegio deſtituta.

Colligitur porrò hæc mens *SS. Patrum, & Doctorum* manifeſtè. 1. ex verbis D. Thomæ 1. p.q. 25. art. 6. ad 4. ubi poſteaquam quæſiviſſet: *poſsítne DEUS, quâvis re à ſe factâ, facere aliam ſimpliciter meliorem*; & nonnulla argumenta pro parte negativa militantia, ſibi objeciſſet, ſubdidit: *Ad quartum dicendum, quòd Humanitas Chriſti, ex hoc quòd eſt unita Deo; & Beatitudo Creata ex hoc quòd eſt fruitio DEI; & Beata Virgo ex hoc, quòd eſt Mater DEI; habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt DEUS; (& ex hac parte non poteſt fieri aliquid melius eis; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe DEO*. Præterea 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. docet, *Maternitatem DEI eſſe quandam Affinitatem cum DEO*, quæ poſt *Unionem perſonalem* ſeu Hypoſtaticam, *pura Creatura naturaliter incommunicabilem ſupremum verticem ordinis gratiæ occupat, nec poteſt adæquari ullo inferiori ornamento, quia improportionabiliter excedit omnia*.

Colligitur 2. ex textu *D. Bonaventuræ* in ſpecul. c. 8. ubi loquitur *de Deipara*: *Ipſa eſt*, inquit, *quâ majorem DEUS facere non poteſt; Majorem mundum poſſet facere DEUS; majus Cœlum poſſet facere DEUS; Majorem* (NB.) *Matrem, quàm Matrem DEI facere non poteſt Deus*.

Col-

(a) *ad Epheſ.* 3.

Digitized by Google

Colligitur 3. ex *S. Anſelmo* l. 2. de Excell. V. dicente: *Hoc ſolum de Sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel cogitari poteſt.* Ex eodem fundamento Deiparam, ſupra omnis creatæ, & creabilis naturæ dignitatem extulit *D. Laurentius* Juſtinianus. (*a*) *Tantò*, inquit, *dignitate cæteris eſt effecta excellentior, quantò propinquior* (ratione ſcilicet *Maternitatis*) *erat Verbo.* Et *S. Petrus Damiani*, (*b*) *Attende*, ait, *& videbis, quidquid majus eſt, minus eſſe Virgine, ſolúmque opificem opus iſtud ſuperare.* D. quoque *Epiphanius* (*c*) *Solo*, ait, *Deo excepto, cunctis creaturis ſuperior exiſtis.* *Petrus* itèm *Cellenſis*: (*d*) *Nihil ad nos, nihil ad Angelos dignius, & melius de theſauris ſuis protulit æterna Trinitas, quàm Templum Virginale, & holocauſtum, quod ad immolandum ex eo traxit Verbum DEO Patri coæternum, & conſubſtantiale.* Similia habent *D. Bernardus*, (*e*) *D. Cyrillus*, (*f*) & alii, quibus adjungere placet *S. Bernardinum Senenſem* (g) ad illa verba: (*h*) *Fecit mihi magna, qui potens eſt*: ità in perſona Virginis loquentem. *Magnum eſt, quòd Virgo ſum; magnum, quòd utrumque ſimul Mater & Virgo ſum; ſed maximum, ſi cujus Mater ſum, attendatur, ſcilicet Unigeniti Filii Dei. Iſta quippe magna nō ſolùm creaturis ſunt maxima, ſed etiā maxima & inſuperabilia ſunt illi, qui Potens imò Omnipotens eſt, & ſanctū Nomen ejus. Neq; enim potentiora, aut ſapientiora facere potuit, quàm quæ in me fecit, dum ſcilicet Hominem Verbo univit.* Ex quibus clarè patet *Sanctos Patres*, & Eccleſiæ *Doctores*, quando Excellentiā Deiparæ ſupra omnes Creaturas non ſolùm exiſtentes, verùm etiam poſſibiles extulerunt, & eam veluti terminum omnium Perfectionum puræ Creaturæ communicabilium, conſtituerunt, non reſpexiſſe ad prædicata illius eſſentialia (quis enim niſi imprudens dicere auſit *Deiparam* eſſe naturæ non ſolùm Angelis defactò exiſtentibus, verùm etiam omnibus creaturis poſſibilibus ſubſtantialiter, & eſſentialiter perfectioris?) ſed reſpexiſſe ad prædicata ſeu perfectionem illius quaſi extrinſecam, & ſemimoralem, & has ſolummodò duas Theſes propugnandas ſuſcepiſſe. Primò: *Poſt Unionem hypoſtaticam*, hoc eſt phyſicam ſeu realem naturæ creatæ *cum Perſona Divina Unionem, non potuiſſe Deiparam ad altiorem & perfectiorem dignitatis gradum aſſumi, vel aſcendere, quàm quòd fuerit electa, & effecta Mater DEI.* Secundò: *Non potuiſſe rationabiliter fingi, aut excogitari ullum titulum purè creatum, vi cujus debeatur, aut conveniat alicui naturæ itidem creatæ, aliqua perfectio naturalis, quem non æquet, aut ſuperet titulus Maternitatis DEI.* Ex quo tamen *nolim Inferas* cum *Catharino*: (*i*) Omnes & ſingulas perfectiones, quæ dignitatem Matris

DEI

(a) *Serm. de Aſſumpt.* (b) *ſerm. de Annunc.* (c) *Orat. de laud. Virg.* (d) *l. 3. ep. 9.* (e) *ſerm. de Aſſumpt. & hom. 2. ſup.* Miſſus. (f) *l. de fide ad Reginas.* (g) *tom. 3. ſerm. 9. art. 2. c. 1.* (h) *Lucæ* 1. (i) *l. 4. contra Cajet. §.* reiicit.

DEI non excedunt, aut ei abſolutè congruunt, fuiſſe defactò Deiparæ collatas; ſic enim exhauriretur aliquatenus circa illam abſoluta Dei Potentia, & habemus pro parte negativa manifeſtam inſtantiam in Humanitate Chriſti, cui etſi vi Unionis Hypoſtaticæ deberentur, & convenirent omnes perfectiones rationabiliter excogitabiles; communior tamen & probabilior Theologorum Sententia eſt, non fuiſſe ei defactò collatam *Gratiam Habitualem* infinitè intenſam, aut cognitiones, ſive naturales, ſive ſupernaturales omnium poſſibilium perfectiſſimas; non quia ipſæ excedant dignitatem Chriſti, ſed vel quia eſſent præter modum agendi Divinæ Sapientiæ, omnia *in certo numero, pondere, & menſura* diſponentis: vel quia impoſſibile eſt ut executioni mandentur, cùm producta quantâlibet gratiâ, ea poſſit magìs ſemper, ac magìs intendi abſque ullo termino; & intellectus poſt quamcunque notitiam poſſit ſemper clariori, & perfectiori cognitione illuſtrari. Quòd ſi autem urgeas, in qua menſura probabiliter admetiendæ ſint juxta *Maternitatem Theandricam* Perfectiones collatæ Beatiſſimæ Virgini? Reſpondeo cum *Theophilo Raynaudo*, (*a*) conſentaneè ad ea, quæ in ſimili de perfectionibus Chriſti accidentalibus docent Theologi, ex natura rei nullum ſtatui, aut affirmari poſſe certum terminum; Deum autem ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ (*b*) providiſſe, & definiviſſe, quouſque protendi expediret, & deceret Perfectiones Verbo incarnando pro præſenti rerum ſtatu, & ordine, convenientes: *Domini enim ſunt cardines Orbis terræ,* (*c*) *& ejus eſt* (prout exponit *D. Gregorius*) *gratia terminos conſtituere, qui præteriri non poterunt.* Ne tamen nihil omninò in hoc puncto ſtatuiſſe videamur, tanquam certiſſimum tenendum eſt, dona & perfectiones Deiparæ cum Maternitate cœlitus collatas, & quemadmodum ſentit Angelicus Doctor (*d*) cum D. Hieronymo, (*e*) in Angelica Salutatione: *Ave Maria, gratiâ plena*, brevi compendio incluſas, eſſe in ſe, & abſolutè longè maximas, & comparativè quaſi infinitè majores perfectionibus omnium Angelorum & Sanctorum Cùm enim quiſquis prudenter operatur, adaptet muneribus, quæ committit, perfectiones & dotes tali muneri convenientes; nullum autem ſit divinum munus puræ creaturæ conceſſum, quod adæquet *Maternitatem Dei, utpote fines Divinitatis* (prout ſuprà ex *D. Thoma* dictum eſt) *quàm maximè attingentem*; dubitare non licet huic ſublimiſſimo muneri perfectiones longè maximas fuiſſe adjunctas, & annexas. Imò *B. Albertus Magnus* (*f*) docet, *ex terminis notum eſſe, Deiparæ perfectiùs collatas eſſe omnium Sanctorum gratias, quàm cuicunque alii puræ Creaturæ.* Ex terminis ſcilicet Matris, & Filii, qui Deus ſit, & principium

(a) *Diptich. Marian. Cautio. n. 7.* (b) *Epheſ. 1.* (c) *1. Reg. 2.* (d) *3. p. q. 7. a. 2.* (e) *Epiſt. 104. ad Principia.* (f) *l. de B. Maria, c. 69, & 71.*

Google

omnis gratiæ. Supponúntque id ipſum omnes propè *Catholici* Doctores cum *D. Thoma*, *Cajetano*, *Durando*, & aliis, dicentes: Dignitatem Matris DEI ità comparari debere in ordine ad Gratias, ſicuti comparatur prima *forma ad ſuas proprietates*. Ex quo conſequenter inferunt *Suarez*, (*a*) *Vaſquez*, (*b*) *Valentia*, (*c*) & paſſim alii: Nullum unquam *donum Spiritûs Sancti* conceſſum fuiſſe alicui puræ creaturæ, quod non in gradu longè altiori, & numeroſiori, conceſſum fuerit *Deiparæ*, adeóque ipſam ſolam, tam quoad *intenſionem* gradualem, quàm quoad *extenſionem* ſeu multitudinem & diverſitatem eorundem, omnes puras creaturas etiam collectivè ſumptas incomparabiliter ſuperâſſe. Quod non ſolùm de *Gratiis gratum facientibus*, quales ſunt: *Gratia ſanctificans, Habitus infuſi, Septem dona Spiritûs Sancti, Fructus & Beatitudines*, quæ primariò reſpiciunt ſanctitatem, & perfectionem operantis: verùm etiam *de Gratiis gratis datis*; cujuſmodi ſunt: *Donum linguarum, Prophetia, Virtus miraculorum, Gratia ſanitatum*, & ſimiles, quæ in aliorum utilitatem primariò ordinantur, intelligendum eſſe, docet Cardinalis *Toletus* (*d*) & Doctores ſuprà citati, éſtque aperta mens *D. Thomæ* (*e*) docentis, *Beatiſſimam Virginem*, quamvis omnes Gratias habuerit, non tamen omnium uſum habuiſſe; nam *miraculorum*, inquit, *virtute in hoc ſæculo non eſt uſa, licèt eam obtinuerit*. Colligitur verò hæc doctrina præter aliorum *Patrum* teſtimonia, quorum meminit *Petrus Spinellus*, præcipuè ex *D. Athanaſio* (*f*) ità loquente: *Spiritus Sanctus deſcendit in Virginem cum omnibus ſuis eſſentialibus Virtutibus, quæ illi per rationem Principatûs Divini adſunt; imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratioſa eſſet; atque idcircò gratiâ plena cognominata eſt; eò quòd adimpletione Spiritûs Sancti omni gratiâ abundaret*. Et D. *Hieronymus*: (g) *In Mariam*, inquit, *totius gratiæ plenitudo, quæ in Chriſto eſt, venit, quamvis aliter; quia etiamſi in Sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenùs plena*. Sed & *Rupertus* (*h*) *Dei Filium Matri ſuæ* loquentem adducens, *Omnium*, ait, *gratiarum Tu facta es particeps, ex quo me caſtis viſceribus ſuſcepiſti, ſuper quem omnia Spiritûs S. dona requieſcunt*. Conſentiunt his *S. Cyprianus*, (*i*) *S. Petrus Chryſologus*, (*k*) *S. Laurentius Juſtinianus*, (*l*) & alii. Ratio verò hujus doctrinæ à priori eſt: quia *Beneficentia DEI* erga creaturas fundatur in *amore benevolentiæ* erga illas; cùm ergò *Deus* nullam puram creaturam æquè dilexerit, ac *Matrem* ſuam; æquum eſt ſentire, ac dicere, non fuiſſe ei negatum ullum donum ſupernaturale *Phyſicum* (de *Moralibus*

(a) *Tom. 2. in 3 epiſt. diſp. 1. ſect. 1.* (b) *3. p. d. 114 c. 3. & d. 119. c. 1.* (c) *3. p. d. 2. q. 1. p. 5.* (d) *in c. 1. Lucæ An. 67* (e) *3. p. q. 27. art. 5. ad 3.* (f) *homil. de Deip.* (g) *ſerm. de Aſſumpt.* (h) *ad c. 3. Zachariæ.* (i) *ſerm. de Nativ.* (k) *ſerm. 143.* (l) *ſerm. de Aſſumpt.*

bus enim, qualia ſunt: *Primatus Eccleſiæ, Poteſtas clavium, Character Sacerdotalis*, & ſimilia, non poteſt eſſe quæſtio) quod *DEUS* alicui puræ Creaturæ voluerit eſſe communicatum. Habet namque hic locum argumentatio *Origenis Adamantii* (a) ex eo probantis intimam *Joannis Baptiſtæ*, quo non ſurrexit inter natos mulierum major, dum in deſerto degeret, cum *DEO* familiaritatem, quòd *Moyſi* id conceſſum fuiſſe legamus in *Scriptura*. Et ideò rationem iſtam in præſenti materia circa remonſtrandas ſupernaturales *Deiparæ* prærogativas ponderans *D. Bernardus*, (b) *negat fas eſſe, vel per ſuſpicionem cogitare, quod tantæ Matri non fuerit conceſſum, quidquid vel paucis mortalium conſtiterit eſſe donatum.* Et iterum, (c) *Nihil eſt*, inquit, *Virtutis, quod ex Te Virgo non reſplendeat: & quidquid habuêre alii Sancti, Tu ſola poſſediſti.* Et denuò: (d) *quæ aliis per partes data eſt, tota ſe ſe Mariæ ſimul infudit gratiæ plenitudo.* Eodem pertinet, quòd Sanctiſſimam Virginem gratiarum mare appellant *S. Petrus Chryſologus*, (e) *S. Antoninus*, (f) *D. Bonaventura*, (g) & alii Patres, accommodantes ei illud Eccleſiaſtæ: (h) *Omnia flumina intrant in mare*, &c. ut ſenſus ſit, quòd ſicuti omnia flumina aquarum in mari, ità omnia flumina gratiarum in Maria abſorbentur. Confirmat denique id ipſum communis ſenſus Eccleſiæ, quæ ſumptis ex Sapiente (i) ab altiſſimis & præſtantiſſimis plantis, ac arboribus Metaphoris, maximam Deiparæ ſuper omnes Sanctos, quoad dona gratiæ, & gloriæ eminentiam, conatur explicare. Sic namque in Feſto glorioſæ ejuſdem in Cœlum *Aſſumptionis* accommodat ipſi illa verba: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano. Quaſi Cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades. Quaſi Platanus exaltata ſum juxta aquas &c.* Quarum arborum comparatione reliquæ Plantæ, & arbores ſunt, quoad ſublimitatem, & præſtantiam conditionis longè inferioris, & depreſſioris. Imò D. *Damaſcenus* (k) non eſt veritus dicere Dei *Matris* & Servorum Dei (quoad *Gratiam* ſcilicet & *Gloriam*) diſcrimen eſſe infinitum; accommodátque ei illud Salomonis: (l) *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, Tu ſupergreſſa es univerſas.* D. verò *Chryſologus* (m) poſteaquam eam appellavit *Collegium totius Sanctitatis*, quaſi obſtupefactus exclamat: (n) *Tanta eſt Virgo, ut quantus ſit Deus ignoret, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Ipſam enim juxta D. *Thomam* (o) *fecit Deus infinitam imaginem bonitatis ſuæ; éſtque* (prout loquitur (p) *S. Methodius*) *ſtupendus Eccleſiæ & Dei Patris amoris theſaurus; in quo innumeras & ineffabiles*

R 2 Di-

(a) *l.* 11. *in Lucam.* (b) *epiſt.* 174. (c) *ſerm.* 4. *ſuper* Salve. (d) *ſerm.* 4. *ſuper* Miſſus. (e) *ſerm.* 146. (f) 4. *p. tit.* 15. *c.* 4. (g) *in ſpecul lect.* 3. & 7. (h) *Eccleſiaſt. c.* 1. (i) *Eccl.* 24. (k) *Orat.* 1. *de Dorm. Deip.* (l) *Prov.* 31. (m) *ſerm.* 146. (n) *ſerm. de Annunt.* (o) *opuſc. de Charit.* (p) *Orat. de Laud. V.*

Digitized by Google

Divina ſua Sapientiæ & Bonitatis divitias tota Sanctiſſima Trinitas recondidit & incluſit.

Auxerunt porrò hactenus explicatam *Gratiarum ſupernaturalium* Sanctiſſimæ *Deiparæ* titulo *Maternitatis Theandricæ* collatarum immenſitatem, ſupraquàm dici poteſt, maxima, & innumerabilia ejuſdem Virginis merita, quibus ab ipſo ſtatim Conceptionis ſuæ inſtanti, immenſum Gratiæ & Gloriæ augmentum per ſexaginta tres, quibus (juxta communiorem opinionem) in terris vixit annos, ſibi comparavit. Ex quo iterum metienda venit immenſa plenitudo Gratiæ, quâ *Deipara* ſupra omnes reliquos Sanctos mirabiliter effulſit. Quamvìs enim daremus *Deum* juſtis ſuis Virtutes omnes ſingulis conceſſiſſe; non tamen datum eſt ſingulis in omnibus eminere, ſed pro beneplacito, partitus eſt *Virtutum* excellentias, & fecit quoſdam eminere in *Temperantia*, quoſdam in *Caſtitate*, quoſdam in *Fortitudine*, quoſdam in *Charitatis fervore*, alios denique in aliis *Virtutibus* (ut etiam in hac parte Eccleſia DEI circumdata eſſet varietate) in Beatiſſima verò Virgine omnes ſimul Virtutum excellentias in gradu incomparabiliter majore congregavit. Ex quarum proinde continua exercitatione neceſſe eſt, immenſum & ineffabile meritorum, & quod exinde conſequitur Gratiæ & Gloriæ augmentum *Deiparæ* acceſſiſſe. Quod ſecum expendens *D. Gregorius Magnus*, (*a*) non dubitavit *Deiparam* juxta vaticinium *Eſaiæ*: (*b*) Monti omnes aliorum montium vertices exſuperanti comparare. *Mons* inquit, *ſublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra Angelorum Choros, uſque ad ſolium Deitatis evexit. Hujus enim montis praexcellentiſſimam dignitatem Eſaias vaticinans ait: Erit in noviſſimis præparatus mons Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſupra omnes Sanctos refulſit.* Sed neque hæc D. *Gregorii Magni*, neque ulla alia comparatio explanandæ Marianæ gratiæ ſufficit. Si enim *Deipara* juxta *S. Damaſcenum* (*c*) *Gratiæ abyſſus eſt; profundum hujus abyſſi quis inveſtigavit?* (*d*) Si juxta *S. Epiphanium*, (*e*) *Gratia Virginis eſt immenſa; quis poſuit menſuras ejus?* (*f*) Si juxta *D. Bernardinum* (g) *Tanta eſt Mariæ perfectio, ut ſoli DEO cognoſcenda reſervetur; nunquid non* (*h*) *Scrutator tantæ Majeſtatis opprimetur à gloria?* Si ad proportionem humilitatis reſpectu DEI ſolet creſcere Gratia Divina; quæ potuit in Creatura pura major reperiri animi demiſſiò, quàm in Maria? Quando jam præconizata Mater Dei ab Angelo; Ipſa tamen in ſenſu compoſito cum hac ſuprema dignitate, ſe

ſe

(a) *Commentar. ſuper l. Reg. in princ.* (b) *c.* 2. (c) *ſerm.* 2. *de Aſſumpt.* (d) *Eccl.* 1. (e) *Orat. de laud. V.* (f) *Iob.* 38. (g) *ſerm.* 51. (h) *Prov.* 25.

Digitized by Google

ſe Ancillam Domini appellavit. Hinc *reſpexit Deus Humilitatem* (alii legunt Nihileitatem, ſeu exinanitionem) *Ancillæ ſuæ*, & *magna fecit* ei, *qui Potens eſt*. quam in rem acutè Bernardus: *Virginitate placuit, Humilitate concepit*. Cui conſequens eſt: eò majorem capacitatem in Deipara fuiſſe admittendæ Gratiæ Divinæ, quò major fuit evacuatio ſuæmet æſtimationis, adeóque quem cœli capere non poterant, Ipſam ſuo gremio, ſeu corde concluſiſſe, nempe Infinitum poſitivum in Infinito morali negativo ſuæ abyſſalis Humilitatis, quæ etiam exinde major fuit, quò Deipara majorem omnibus aliis puris Creaturis cognitionem habuit, & Immenſitatis Divinæ Majeſtatis, & Suæ reſpectu illius quaſi Nihileitatis.

Reſtat nunc ſolvere argumentum *Neſtorii*, & aliorum *Hæreticorum*, qui vel *Maternitatem DEI Mariæ* omnino denegabant, vel eandem infra dignitatem cujuslibet hominis juſti deprimebant. Conſiſtit autem in eo, quòd *Chriſtus* mulierem, quæ Lucæ. 12. *Maternitatem Deiparæ* magnoperè commendabat, & de medio turbæ exclamans dicebat: *Beatus Venter, qui Te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Chriſtus* inquam, *correxerit* dicens: *Quin imò Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Volens procul dubio (prout interpretantur *Antidico-Marianitæ*) ſignificare *Filiationem Adoptivam Juſtorum*, quæ obtinetur per *Gratiam ſanctificantem Maternitati Chriſti* eſſe longè anteferendam. Verùm facilè *Reſpondeo* cum ſæpè citato *Franciſco Suarez*, (a) *Maternitatem Chriſti* dupliciter conſiderari poſſe: vel prout præcisè reſpicit ſolam Humanitatem Chriſti, ſive Chriſtum ùt Hominem (qualiter eam reſpiciebat mulier illa Evangelica, quæ juxta complures *Sanctos Patres* tunc, quando uterum *Sanctiſſimæ Virginis* beatum prædicabat nihil de *Chriſti Divinitate* credebat, aut cogitabat) vel prout præter *Humanitatem Chriſti* reſpicit ſimul *Perſonalitatem Divinam*, ſive *Chriſtum ùt Deum*. Si primo modo conſideretur *Maternitas Chriſti*, communis ſententia *Theologorum* (fundata in Sanctis *Patribus Auguſtino*, (b) *Juſtino*, (c) *Cypriano*, (d) & pluribus aliis) eſt; longè dignius & melius fuiſſe *Sanctiſſimæ Virgini* conſtitui *Filiam Adoptivam DEI per Gratiam ſanctificantem, quàm fieri Matrem Dei per Generationem Chriſti carnalem & temporalem*. Quia concurrere phyſicè ad formandum, & fabricandum corpus humanum *à Perſona Divina* aſſumendum, aut ſuppeditare ei lac, & ſanguinem, quo nutriatur & perficiatur (in quo conſiſtebat *Maternitas Chriſti* præcisè quà Hominis) non reddebat illam formaliter, & intrinſecè *Sanctam*, *Amicam*, aut *Filiam Adoptivam Dei*, ſicuti reddebat *Gratia Habitualis*. Quòd ſi verò *Maternitas Chriſti* ſpectetur etiam, prout

(a) *Tom. 2. in 3. p. d. 1. ſect. 2.* (b) *l. de SS. Virginit. c. 3. & ep. 38.* (c) *q. 136. ad Orthod.* (d) *ſerm. de Paſſ.*

Digitized by Google

ex vi generationis phyſicæ nanciſcebatur *Deipara*, eo ipſo ſpecialem connexionem cum *Perſona Divina*, & elevabatur quodammodò inſtrumentaliter ad ordinem *Unionis Hypoſtaticæ*, quam actio illa generativa intrinſecè reſpiciebat; eâtenus *Maternitas Christi erat Beatiſſimæ Virgini* millecuplo, & millecuplo melior, ac optabilior quâlibet aliâ dignitate, & dono puro creato; quia erat radix, & fundamentum innumerabilium & maximorum donorum ſupernaturalium, quæ *Matri* tanti *Filii* jure quodam naturali competunt; & demptâ *Unione Hypoſtaticâ*, nulli puræ creaturæ deberi poſſunt. Quo ſenſu de dignitate *Maternitatis Christi* rectè pronunciavit *S. Auguſtinus*: (a) *Hujus dignitatis & gratiæ altitudinem* (eſſe ſcilicet Matrem Perſonæ Divinæ) *nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Et *S. Anſelmus*: *Hoc ſolum de Sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater eſt, excedit omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici vel cogitari poteſt.* Ex quibus abundè ſatisfactum manet argumento ex veteri *Hæreſiarcharum* penu ab *Autore Anonymo* recenter deprompto, & in ſua Apologia contra extollentes Dignitatem *Matris DEI Mariæ* perperàm inſinuato.

ANIMADVERSIO XXVII.

Autor Anonymus fruſtrà nititur Deiparæ *abrogare titulum*, poſt Deum & Chriſtum Cœli terræque Imperatricis, Reginæ, & Dominæ.

ANimadvertendum *Vigeſimoſeptimò*, Autorem Anonymum Numero X. ſuorum *Monitorum* his verbis: *Noli dicere me cum Filio meo diviſum habere imperium.* & Numero XV. his verbis: *Non te dixeris meum mancipium; ſoli Conditori Deo, & Chriſto homines mancipantur*: haud obſcurè indicare, non probari ſibi titulos *Reginæ, Imperatricis, & Dominæ totius Univerſi*, quibus *Deiparam Mariani Clientes* ſalutant, & honorant: ſed debere eam potiùs *ancillam* & ſicuti aliæ de communi fœminarum ſexu *Conſervam* noſtram appellari: ideóque Monito VI. præmiſit: *Laus quæ mihi defertur, ut Matri, & Ancillæ Domini, ſancta eſt; ego enim Conſerva veſtra ſum.* Quaſi verò credibile ſit minùs honorari, & æſtimari voluiſſe *MARIAM* Matrem ſuam Rex Regum *Chriſtus*, quàm *Helenam* genitricem ſuam honoraverit, aut æſtimaverit *Conſtantinus Magnus*, dum eam *Reginam Orbis, & Matrem Imperii* voluit appellari. Ut igitur præfatos titulos ab omni *Autoris Anonymi* malevolentia vindicem, ſa-

(a) *Ser. init. l. de Aſſumpt.*

Digitized by Google

ſateor libens cum communi *SS. PP.* & *Theologorum* Sententia in Scripturis, & ratione etiam naturali apprimè fundata, *Chriſto* non ſolùm quà *DEO*, verùm etiam quà *Homini* triplici titulo, putà *Unionis Hypoſtaticæ*, *Redemptionis humanæ*, & *Donationis paternæ*, perfectiſſimum & abſolutiſſimum tum Jurisdictionis, tum Proprietatis Dominium, & Imperium in omnes res creatas *primariò & per ſe* competere; & id circo ei jure merito ab Eccleſia inter Sacra *Miſſarum ſolemnia* accini: *Tu ſolus Dominus*. Sentio nihilominus cum *SS. PP. & Eccleſiæ Doctoribus*, *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *Athanaſio*, *Nazianzeno*, *Chryſologo*, *Auguſtino*, *Germano*, *Damaſceno*, *Bernardo*, *Ruperto*, & aliis, qui *Deiparam potentiſſimam cœleſtium, terreſtrium, & inferorum Reginam, ac Dominam* intitulârunt, apud *Ferd: Salazar* in c. 8. Proverb: *hanc Sanctiſſimam Virginem* poſſe & debere, eo præcipuè titulo: quòd eſt *Mater DEI*, in ſupremi ejuſdem Dominii, & Imperii communionem, cum omnimoda tamen, à præcellenti Chriſti dominio, dependentia admitti, & titulo *Univerſalis totius Orbis Imperatricis Reginæ ac Dominæ* ab omnibus ſalutari & adorari. Licèt enim *jure Civili* nobilitas, aut dignitas, quam Filii ex beneficio *Reipublicæ* aut privilegio *Principis* indipiſcuntur, ab ipſis per ſe loquendo ad eorum Progenitores, aut alios *Aſcendentes* non refluat, ſecùs tamen ſentiendum eſſe de nobilitate, & dignitate, quam filii independenter à libera *Reipublicæ*, aut *Principis* diſpoſitione ex natura rei ſibi vendicant, compluribus argumentis ex *Ariſtotele* (*a*) & aliis eruditè probat paulò antè citatus *Ferdinandus de Salazar* de hoc ipſo *Deiparæ* titulo diſcurrens in c. 8. Proverbiorum Adverſ: 15. & 16. *Cùm enim*, inquit, *ſecluſis Emancipationibus, quas Jus Civile adinvênit, ipſa natura Parentibus* (*utì docet modò citatus Ariſtoteles*) *ratione generationis quoddam quaſi imperium in Filios, & quæ hinc in iiſdem neceſſariò conſequitur, ſubjectionem contulerit; tale imperium in Parentibus, & ſubjectio in Filiis non ſubſiſterent, niſì quidquid honoris, & dignitatis Filius à natura participat, in Patrem & Matrem pariter redundaret.* Cujus juris naturalis quia non ignarus erat Regum Sapientiſſimus Salomon, (*b*) idcircò Matrem ſuam Berſabee ad ſe accedentem, iiſdem, quæ Reginis competunt, cæremoniis & honoribus excepit. Quos deſcribens Sacer Hiſtoricus: *Venit*, inquit, *Berſabee ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia. Et ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravítque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſitúſque eſt thronus Matri Regis: quæ ſedit ad dexteram Regis.* Noverat ſcilicet Parentem ſuam ipſo Jure materno, in regni ſui ſocietatem vocari, & Regiis honoribus debere decorari. Sed & præclariſſimos quoſque *SS. PP.* hujus *juris naturalis* gnaros fuiſſe, manifeſtum

(a) *l. 8. Ethic. c. 11.* (b) *3. Reg. 2.*

Digitized by Google

ſtum eſt ex eo, quòd univerſale Deiparæ in omnes res creatas dominium & imperium, ex titulo & prærogativa Divinæ Maternitatis præcipuè intulerunt. Sic namque olim ratiocinatus fuit *D. Athanaſius*, (*a*) quem *Orbis oculum, & Eccleſiæ columen* appellavit *D. Gregorius Nazianzenus*. (*b*) *Quandoquidem* inquit, *ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex Virgine, idémque Dominus eſt Deus: ea propter, & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina propriè & verè cenſetur.* Et *S. Joannes Damaſcenus*: (*c*) *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta eſt, cùm Creatoris Mater extitit.* Et iterum: (*d*) *Oportebat Dei Matrem ea, quæ ſunt Filii, poſſidere.* Et *Rupertus* loquens *de Deipara* (*e*) *Hæc*, inquit, *in Cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina Regnorum eſt: quandoquidem eſt Mater Regis coronati, quem conſtituit Dominus ſuper opera manuum ſuarum; ac proinde Regina conſtituta, totum jure poſſidet Filii regnum.* Et hoc ipſum iterum inculcans: *Prædicabitur*, ait, *de Te, quòd ſis Mater Chriſti, ac proinde Regina Cœlorum, totum jure poſſidens Filii regnum.* D. quoque *Anſelmus* (*f*) *Jure materno*, inquit, *cœlo terraq; cum Filio præſidet.* Et *Doctiſſimus Idiota*, vocat illam: *Poſt Filium, & propter Filium Dominam univerſæ terræ.* Similia habent multi alii *Patres, ac Doctores*, qui *Virginem Deiparam* jure Materno verè, & propriè Univerſi Reginam, & Dominam eſſe, & cum *Filio* communem poteſtatem ſortiri, uno quaſi ore confitentur, & proloquuntur. Quorum teſtimoniis innixus *Ægidius Columnius Archiepiſcopus Bituricenſis*, ex illuſtriſſima *D. Auguſtini* Familia, ità concludit in doctiſſima ſua Expoſitione ſuper Salutationem Angelicam: *Cùm Maria ſit illius Mater, qui omnium Dominus eſt, & Rex; ipſa etiam omnium Domina, & Regina credi debet.* Videtur autem *SS. PP.* in hac ſua aſſertione & diſcurſu plurimùm confirmâſſe commune, & apud *Juris peritos* vulgò receptum principium; *quòd quadam fictione Juris naturalis, Filius nondum emancipatus, non cenſeatur quid diſtinctum à Patre, aut Matre.* Cùm igitur *Chriſtus* ſuffragantibus haud obſcurè (*g*) *DD. Ambroſio, Methodio, Gregorio Niſſeno, Tito Boſtrenſi*, & aliis, privilegio *Emancipationis, & à Patria poteſtate Exemptionis*, quod ei à primo ſtatim inſtanti Conceptionis titulo *Unionis Hypoſtaticæ*, debebatur, ultrò ceſſerit; ſicuti ex hac identitate iidem Juriſperiti inferunt, Filium quàmdiu ſub *Patria Poteſtate* exiſtit, eſſe verum Dominum paternorum Bonorum, quamvìs iiſdem, ſinè venia Patris uti non poſſit; ità ipſi ex ſimili identitate inter *Chriſtum & Deiparam*, intulerunt, Ipſam fuiſſe, & etiamnum eſſe rerum omnium Dominam & Reginam; eſtò de his ſinè omnimoda à Filio ſuo dependentia diſponere non poſſit.

Cui

(a) Serm. de Deip. (b) Orat. de Athanaſ. (c) l. 4. de fide. c. 4. (d) ſerm. de Aſſumpt. (e) l. 4. in Cant. (f) l. 9. de Excel. V. (g) apud Salazar ſuprà.

Digitized by Google

Cui doctrinæ adſtipulatur etiam ipſe Romanæ Eloquentiæ Princeps *Tullius*, (*a*) dum ait: *Cum Filiis vivi bona noſtra partimur, quia pro eadem Perſona habentur.* Et verò, ſi *Humanitas Chriſti* propter vinculum *Unionis Hypoſtaticæ* cum *Perſona Divina*, verum & proprium Dominium in omnes res creatas ſortita fuit; quidni potuerint *SS. Patres* aſſerere *Deiparam* ob intimam Subſtantiæ ſuæ cum *Filio* communicationem, & in jure tam naturali quàm poſitivo fundatam cum eodem, ſanô ſenſu, identitatem, *juribus & privilegiis Regiæ poteſtatis & Dominationis*, quibus ipſe fruitur, pariter frui & *gaudere*. Ità mihi ſanè diſcurriſſe videtur D. *Arnoldus Carnotenſis* Abbas Bonæ-vallis, *S. Bernardi* Coætaneus, cùm ait: (*b*) *A Dominatione & Potentia Filii non poteſt Mater eſſe ſejuncta; una eſt enim Mariæ & Chriſti caro, unus Spiritus, una Charitas; ex quo dictum eſt ei: Dominus tecum. Unitas hæc diviſionem non recipit: & Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.* Sed & præterea hactenus memoratum *Juris Materni* titulum, *Dotis* quoque nomine *Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ* ab eo momento, quo per Salutationem Angeli verbis illis: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in Te*, in ejuſdem Diviniſſimi Spiritûs Sponſam electa fuit, cœli, ac terræ imperium competiviſſe præter plures alios *SS. Patrum*, docet cumprimis *D. Epiphanius* ità de illa pronuncians: (*c*) *Virgo Cæleſtis Sponſa & Mater donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum, dotis verò gratiâ cœlum & terram accepit.* Et D. Anſelmus (*d*) *Ipſe*, inquit, *Spiritus DEI, ipſe amor Omnipotentis Patris, & Filii, ipſe per quem, & in quo omne amatur, quod bene amatur; ipſe inquam, venit in eam, ſingularíque gratiâ præ omnibus, quæ creata ſunt, ſive in cœlo, ſive in terra, requievit; ac Reginam, & Imperatricem cœli, & terræ, & omnium, quæ in eis ſunt, Sponſam ſuam conſtituit.* Addi poteſt & tertius *Mariani* in omnes res creatas *Imperii* titulus; *voluntaria ſcilicet, & liberalis* in idem cum Filio ſuo Regnum, & Imperium *cooptatio, & aſſumptio*; vi cujus idem *Dei & Mariæ Filius, cui Pater in manus omnia tradidit, Genitrici* ſuæ cunctas res creatas ſubdidit, & ſub ejus ditione, ac imperio conſtituit. Hoc enim ità eveniſſe apertè docent non unus ex *SS. Patribus*, atque imprimis *D. Damaſcenus.* (*e*) *Filius*, inquit, *Matri omnes res conditas in ſervitutem addixit.* Et *D. Anſelmus*, (*f*) *Deus*, ait, *eam cunctæ ſecum creaturæ perenni jure dominaturam, in throno gloriæ ſuæ collocavit. Rupertus* quoque (*g*) *Chriſtum* Matrem ſuam, ad cœleſtis regni ſolium ſecum capeſſendum invitantem repræſentans, *Veni*, inquit, *Veni, coronaberis, ut in cœlis Regina ſis Sanctorum, & in terris Regina ſis regnorum.* Subſcribunt etiam *D. Auguſtinus*

(a) *Orat. in Verrem.* (b) *Tract. de laud. V.* (c) *ſerm. de Deip.* (d) *l. 3. de Excell. V. c. 4.* (e) *ſerm. de Aſſumpt.* (f) *de Excell. V. c. 8.* (g) *l. 3. in Cant. c. 4.*

Digitized by Google

nus (*a*) *S. Petrus Damiani* (*b*) & *Doctiſſimus Idiota*, cum multis aliis Eccleſiæ *Doctoribus*, qui *Deiparam* ad Regium Filii ſui ſolium evectam ſuſpiciunt, & tanquam *Orbis terrarum Imperatricem Dominam & Reginam* deprædicant, ac venerantur. Quorum teſtimoniis ſubnixus *D. Bernardinus Senenſis* (*c*) ità concludit: *Tot creaturæ*, inquit, *ſerviunt glorioſæ Virgini, quot ſerviunt Trinitati.* Omnes enim creaturæ quemcunque gradum teneant in creatis, ſive ſpirituales ùt Angeli, ſive rationales ùt homines; ſive corporales ùt cœleſtia corpora, & elementa: & omnia quæ ſunt in cœlo, & in terra, eidem glorioſæ Virgini ſunt ſubjecta. Quodnam porrò fuerit primarium hujus tam eximii erga *Deiparam* favoris motivum, & incitamentum, non idem eſt *SS. Patrum* ſenſus. D. namque *Bernardus* (*d*) cenſet fuiſſe profundiſſimam *Deiparæ humilitatem. Meritò*, inquit, *facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam. Meritò facta eſt noviſſima prima, quæ prima cùm eſſet, omnium ſe noviſſimam faciebat.* D. verò *Anſelmus* (*e*) adſcribit id factæ per *Deiparam* quaſi cauſam inſtrumentalem totius Mundi reparationi. *Sicuti*, inquit, *Deus ſuâ potentiâ cuncta parando, Pater eſt ac Dominus omnium; ità Beatiſſima Dei Genitrix ſuis meritis cuncta reparando, Mater eſt ac Domina rerum. Et ſicuti Deus eſt Dominus omnium, ſingula in ſua natura propriâ juſſione conſtituendo; ità Maria eſt Domina rerum omnium, ſingula congenitæ dignitati per eam, quam meruit, gratiam reſtituendo.* Rectè equidem: *Sicuti* enim *Chriſtus* (prout ex hoc loco eruditè argumentatur (*f*) Ferdinandus *de Salazar*) *eſt Specialis noſter Rex ac Dominus titulo Redemptionis; ità æquum eſt ſentire Deiparam quoque, quæ huic Redemptioni*, prout infrà oſtendetur, *ſpecialiter cooperata fuit, in Regni ac Dominationis iſtius communionem fuiſſe à Filio adſcitam*, & *adlectam*. S. denique *Hyppolitus Martyr* (*g*) cui ſubſcribunt multi alii *de SS. Patribus*, hanc tam eximiam Deiparæ exaltationem, refert in officioſiſſimam *Filii DEI* erga *Matrem* ſibi ſemper dilectiſſimam *Obſervantiam, & Pietatem. Qui enim*, inquit *S. Martyr, dixit: Honora Patrem & Matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem Matri ſuæ gratiam, & honorem impendit.* Utut factum ſit, abſolutè factum fuiſſe, mihi ambigere nec libet, nec licet. Et cùm de jure ſit, quòd acceſſorium ſequatur naturam Principalis, ipſe verò Chriſtus ſubditus fuerit Beatiſſimæ ſuæ Matri; quidni inferre poſſis acceſſorium Chriſti Domini, videlicet univerſa creata, etiam ſubdita fuiſſe, & ſubjecta Virgini Deiparæ. Tu Benevole Lector hinc collige, quàm parum piè, & humaniter de Sanctiſſima *Deiparæ* perſona ſenſerit *Autor Anonymus*,

(a) *Serm. 35. de SS.* (b) *ſerm. 1. de Nativ.* (c) *Tom. 1. ſerm. 61.* (d) *ſerm. de Verb. Apoc.* (e) *de Excell. V.* (f) *in c. 8. Prov. 16.* (g) *Orat. de Sanctiſ. Deip.*

mus, dum illam ab omni, ſive in cælis ſive in terris, Dominatione excluſam, in ſolo ſervarum & ancillarum Domini numero & ſorte voluit computari. *Licèt enim ipſa*, verba ſunt *Arnoldi Carnotenſis*, (*a*) *ſe Chriſti profiteatur Ancillam; hoc ſervitutis genus omni Regno ſublimius eſſe intelligitur : conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam; & quicunque JESU curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat: & Filii gratiam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem. Hanc namque ejus humilitatem, teſte D. Auguſtino*, (*b*) *ità reſpexit, ut Dei Patris Verbum carne ſuâ indutum utero geſtaverit: dúmque ſe ancillam confeſſa eſſet, Mater facta fuerit ſui Plaſmatoris, ideóque & omnium Domina.* Nec te terreat, quòd hæc Auguſtiſſima Cœli ac terrarum *Domina* ac *Regina* nullum Dominationis, & Imperii ſui ſpecimen in terris degens exhibuerit, ſed adinſtar pauperis ancillæ, *Eliſabethæ* cognatæ ſuæ ſervitiis, & obſequio ſeſe compluribus menſibus aptaverit: potuiſſet enim ſi ità humano generi expediens fuiſſet, ad demonſtrandam regiæ ſuæ majeſtatis, & potentiæ dignitatem, rogare *Patrem cæleſtem & exhibuiſſet ei in ſervitium pluſquam duodecies mille legiones Angelorum. Sed regnum illius, ſicuti & Filii ſui, non erat de hoc mundo.* Nunc autem in cœlis, poſteaquam tanquam (*c*) *Regina aſſiſtit à dextris Filii in veſtitu deaurato, circumdata varietate*; omnibus altùm inſonat illud Eccleſiaſtæ: (*d*) *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Præfatum namque Pſalmi locum *Deiparæ* accommodant *D. Athanaſius*, (*e*) *Ildephonſus*, (*f*) *S. Gregorius M. Nicomedienſis* (*g*) & alii ſignanter notantes *Deiparam dici aſſiſtere* à dextris; quia utì obſervavit *D. Bernardinus Senenſis*, (*h*) *Sicuti benedictus JESUS ſedet à dextris Patris, id eſt, in potioribus bonis paternis; ſic iſta Virgo glorioſa in potioribus bonis Filii ſui JESU juxta ipſum in throno ſublimata conſedit.* Quam proinde meritò omnes Chriſtiani Reges, & Principes; atque inprimis Auguſtiſſima Domus Auſtriaca, tanquam ſuam Reginam, ac Dominam publicis pietatis, & devotionis monimentis, ubique terrarum honorant, & venerantur. Ego verò Sanctiſſimæ cœli, terrarúmque *Imperatrici, Reginæ, ac Dominæ* applaudens, & aggratulans, alloquor eam ex nomine omnium ejus *Clientum, & Servorum*, verbis *D. Guarrici Abbatis*: (*i*) *Perge Maria, perge ſecura* (quidquid in vanum, addo Ego, obſtrepat *Autor Anonymus*) *perge, inquam, in bonis Filii tui. Fiducialiter age tanquam Regina, Mater, Regis & Sponſa. Requiem quærebas, ſed amplioris gloria eſt quod Tibi debetur Regnum & Poteſtas. Indiviſum Tecum habere cupit imperium, cui Tecum in carne una & uno Spiritu indiviſam ſortitus fuit Pietatis, & Uni-*

(a) *Tract. de laud. V.* (b) *ſuper Magnif.* (c) *Pſ. 44.* (d) *Prov. 1.* (e) *ſerm. de Deip.* (f) *ſerm. 1. & 2. de Aſſumpt.* (g) *Orat. de oblat. Deip.* (h) *ſerm. 11. tom. 3. a. 3.* (i) *ſerm. 3. de Aſſumpt.*

Digitized by Google

tatis myſterium. Neque fructu ſuo (ità piè exiſtimo) carebit hæc mea Deiparæ facta aggratulatio; ſpero enim exinde in me vel ſerò redundaturum aliquid ejus voluptatis, & gaudii, quod ex glorioſo hujus Virginis, tanquam cœlo terræque cum imperio præſidentis, conſpectu percepturos eſſe *Clientes Marianos* teſtatur *D. Anſelmus* ità loquens: *Adverte quæ gloria, vel quod gaudium, vel quæ jubilatio erit omnibus illis, qui in Regnum Beatitudinis aſſumpti, cùm ipſam Dominam, per quam tanta eis bona provenêre, præ oculis habuerint, juxta DEUM, quem de ſuo utero Filium peperit reſidentem, & jure materno cælo terraq; cum eodem Filio præſidentem.*

ANIMADVERSIO XXVIII.

Poteſt Deus magìs amari, quàm Deipara, etiamſi hæc ametur tenerius & ſenſibiliùs.

ANimadvertendum *Vigeſimooctavò. Autorem Anonymum* inter reliquas doctrinas ſeu *Monita*, quibus conatus fuit fervidæ pietati *Fidelium* erga *Deiparam* frigidam affundere, poſuiſſe in ficta *Deiparæ* perſona etiam hanc: (*a*) *Nolite me teneriùs aut ſenſibiliùs amare, quàm Deum.* Quæ Doctrina ſi eſt puri conſilii, non eſt abſolutè mala, vel contemnenda; ſupponit tamen magnam in iis, ad quos dirigitur, perfectionem, & ſui ipſius abnegationem: quam hominibus de vulgo, præcipuè verò ſexui fœmineo, erga ſuum genus, adeóque etiam erga *Deiparam* tanquam primam, & principalem hujus ſexûs gloriam, valdè propenſo, velle perſuadere, eſt propè oleum, & operam perdere. Si verò eſt præcepti (quod videtur præſeferre præfatum *Monitum*) dicenda eſt erronea, & communi Theologorum opinioni contraria. Quis enim inter Scholaſticos *Doctores* fuit aliquando ità rigidus, & auſterus, ut diceret omnes illos contra rectam rationem, & contra præceptum Charitatis DEO debitæ, graviter delinquere, quotquot teneriori, & ſenſibiliori dolore afficiuntur ex jactura bonorum temporalium, quàm offenſa DEI vel amiſſione bonorum æternorum? Audebítne *Autor Anonymus* graviſſimo ſceleri, & æternæ damnationi reddere obnoxias omnes, DEO alioqui devotiſſimas animulas, quæ valdè tenero, & uſque in amaras lacrymas exundante dolore, deplorant mortem ſuorum parentum, aut filiorum; & non deplorant ſimiliter malitiam ſuarum contra Divinam Majeſtatem offenſarum? Poſſúmne prudenter crede-re

(a) *Monit.* 14.

Digitized by Google

re *Autorem Anonymum* ſolere eſſe ità ſenſibiliter affectum, turbatum, & de emendatione ſolicitum ex recordatione præteritorum, quæ pro fragilitate humana contraxit (quis enim auſit uſurpare illud Hieremiæ: *Abſque peccato* (a) *& innocens ego ſum*) delictorum, ſicuti in ſua *Apologia* oſtendit ſe fuiſſe affectum & ſolicitum pro vindicanda, & à ſuſpicione Hæreſeos eximendâ ſuâ famâ, & exiſtimatione? Putáſne denique *Autorem Anonymum* ità eſſe accuratum in cavendo, ne mors intret in ejus animam per feneſtras oculorum, ſicuti cautus eſt in occludendis valvis, aut foraminibus, per quæ fur aliquis poſſet ſe inſinuare in conditoria ſuorum theſaurorum? Debuiſſet, niſi fallor, antequam hanc propoſitionem adeò categoricè, & ſinè ulla limitatione proponeret, reflectere ſe ſupra doctrinam communem tam *Philoſophorum*, quàm *Theologorum* diſtinguentium inter *amorem appretiativum*, qui provenit *ab appetitu rationali*, & dirigitur actu judicii dictantis hoc aut illud objectum eſſe pluribus, vel paucioribus aliis objectis anteferendum; & *amorem ſenſibilem*, *ſeu affectivum*, qui provenit *ab appetitu ſenſitivo*, & dependet præcipuè à cognitione ſive materiali, ſive ſpirituali, proût magìs vel minùs conſonum aut diſſonum proponit parti *hominis inferiori*, ſive animæ, *in quantum eſt ſenſitiva*, à qua, ùt tali, dependent lacrymæ, ſingultus, gemitus, & ſimilia ſenſibilis doloris indicia. Cùm ergò poſſit & ſoleat contingere, ut longè vivaciùs proponatur nobis jactura quorumdam bonorum temporalium (putà parentum, aut liberorum) quàm proponatur offenſa DEI; nihil mirum eſt, etiam illos, qui Deum ſupra omnia appretiant, atque ità comparati ſunt, ut malint parentes, liberos, & quidquid charum in terra habent, amittere, quàm Deum vel leviſſimè offendere; nihil inquam mirum eſt, tales non ſolvi in lacrymas ex recordatione ſuorum delictorum, quibus Deum ſummè bonum offenderunt; ſolvi autem ex recordatione amiſſi parentis, conjugis aut liberorum, quorum conſortio ſe ſe, dum viverent, delectaverunt. Ex quo conſequenter apparet, non eſſe idem (in quo valdè erravit *Autor Anonymus*) hæc duo: *magìs ſeu fortiùs amare*: *& teneriùs ac ſenſibiliùs amare*; *prius* namque conſiſtit in majori ſeu firmiori ad objectum amatum rationali adhæſione, vi cujus determinatur amans, non obſtantibus, quæ occurrere poſſent, difficultatibus, objectum amatum aliis objectis, quæ tunc in comparationem venire poſſent, anteferre: *poſterius* verò conſiſtit in quadam valdè vivaci objecti delectabilis apprehenſione affectiva cauſante delectationem, quæ provenire ſolet ex ejuſdem poſſeſſione, & dolorem, qui naſcitur ex

(a) c. 2.

Digitized by Google

illius amiſſione; ſufficit autem ad implendum præceptum dilectionis DEI ſuper omnia, ſi Deus ametur à nobis ſupra omnes creaturas amore appretiativo, etiamſi non ametur amore valdè tenero, & ſenſibili, corpus humanum quandoque notabiliter alterante. Verùm vix mihi perſuadeo, *Autorem Anonymum*, quem à doctrina, & eruditione multùm commendant ejus Patroni, fuiſſe ignarum eorum, quæ circa diſtinctionem *amoris appretiativi & ſenſitivi*, ex probatiſſimis quibuſque *Theologis* hactenus allata ſunt. Suſpicor proinde Monitum illius XIV, fuiſſe profectum ex odio, & abominatione illius vocis *Dulcedo* (quæ amantibus perfamiliaris eſt) in veteri & piiſſimo illo cantico: *Salve Regina*, ab *Eccleſia Occidentali*, & omnibus Orthodoxis *Mariæ Cultoribus*, cum magno pietatis ſenſu, adhiberi ſolitæ; ſicuti & ex verbis in fine ejuſdem Cantici appoſitis: *O Clemens! O Pia! O Dulcis Virgo Maria!* Sed nihil miror melleis hiſce, ac ſuaviſſimis vocibus, & epithetis, quibus genuini *Eccleſiæ Catholicæ Filii* ad explicandum teneriorem ſuum erga Deiparam affectum utuntur, amaricatum & exaſperatum fuiſſe *Autorem Anonymum*; ſolent enim dulcia juxta Medicinæ peritos in ſtomacho malè diſpoſito, bilem generare; cùm ex adverſo in ſtomacho benè attemperato cibus ac potus dulcior ad nutritionem, & Spirituum tùm *vitalium* tùm animalium vigorem, & incrementum, plurimùm conducant. Ex quo neceſſariò conſequitur, longè ſanioris, & minùs corrupti ſtomachi fuiſſe *SS. PP. Ambroſium*, (a) *Damaſcenum*, (b) *Ephrem*, (c) *Anſelmum* (d) *Bernardum*, (e) *Bonaventuram*, & alios, quibus dulciſſimum MARIÆ nomen, & exquiſita in eandem pietas, non in amarum fel, ſicuti *Autori Anonymo*, ſed in ſuaviſſimum manna, & mel converſa fuerunt. De quo ne ullum *Autori Anonymo* poſſit ſubrepere dubium, audiat, ſi lubet, qualiter guſtato dulciſſimo *MARIÆ* nomine affectus fuerit mellifluus Doctor *Bernardus* apud *D. Bonaventuram*. *O! magna*, inquit, *O! pia, O multùm amabilis MARIA! Tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium Te. Tu nunquam ſinè dulcedine Tibi divinitus inſitâ, piæ memoriæ portas ingrederis.* Et iterum: *Nihil auſterum in Maria; tota ſuavis, etiam nomine, ſuper mel dulcis.* Audiat ſecundò *D. Damaſcenum*: (f) *Quantâ non voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem ſuam ſanctiſſimæ memoriæ tuæ ô Virgo promptuarium effecit!* Audiat tertiò *D. Bonaventuram*: (g) *Quàm dulcia*, inquit, *peccatoribus eloquia tua ô Domina! ſupra omnem melodiam refectio tua, dulcis ori meo!* Et iterum: *Memoria ſuavitatum tuarum cor meum alienavit à me, & caro mea mirabili-*

ter

(a) *de inſtit. V. c. 7.* (b) *l. de Orthod. Fid. c. 15.* (c) *in lament. Mariæ.* (d) *de Excell. V. c. 5.* (e) *ſerm ſuper Miſſus.* (f) *1. Orat. de Dorm. Deip.* (g) *in pſ. Virg. 118.*

ter exultavit in Te! Audiat quartò *S. Bernardinum*: (*a*) *Teſtis Conſcientia mea*, inquit, *eſt Dominus, quia ſi aliquando laudibus Virginis MARIÆ valeo per horam occupari, tantâ lætitiâ ſaucior, tantâque intus ſuavitate perfundor, ut nihil aliud appetam.* Audiat quintò Sanctos *Laurentium Juſtinianum*, (*b*) qui *Deiparam* appellat *Nectare Cælitum deliciis dulciorem. Rupertum*, (*c*) qui eam vocat, *Favum mellis Chriſti. Epiphanium*, (*d*) *Andream Jeroſolymitanum*, (*e*) & *Maximum*, (*f*) qui eam indigitant: *Manna cæleſte*. *Joannem Geometram*, (*g*) qui *Ipſam* nuncupat: *Petram melle fluentem. Richardum à S. Laurentio*, (*h*) qui eandem Virginem compellat: *Dulcedinem animarum credentium.* Audiat denique *S. Germanum Patriarcham Conſtantinop.* (*i*) qui pronunciat: *Mariam eſſe theſaurum omnium voluptatum.* Ut proinde non mirer, penſatis hiſce ac pluribus aliis non diſſimilibus Sanctorum *Patrum* propoſitionibus, & terminis inductos fuiſſe nonnullos à pietate, & doctrina haud parum laudatos *Doctores*, ut exiſtimaverint, probabiliter ſentiri poſſe; Sanctiſſimum Nomen *MARIÆ* (quod *D. Methodius*, Olympi Lyciæ, & poſtea Tyri Epiſcopus & Martyr (*k*) dixit, Divinis benedictionibus & gratiis omni ex parte abundare) tenerâ, & ſincerâ pietate cogitatum, aut nominatum, ex ſpeciali Dei privilegio excitare in animis Fidelium quandam ſenſationem guſtûs interni, non multùm abſimilem illi, quæ conſequi ſolet ad guſtationem externam rei valdè dulcis, & ſuavis. Ad eum ferè modum, quo concentus muſici diverſimodè attemperati, habent occultam vim, & virtutem, non ſolùm corpus humanum mirabiliter alterandi, verùm etiam diverſiſſimos affectus in ipſa anima concitandi. Prout variis argumentis, & experientiis ex occaſione Tarantulæ in ſua Muſurgia eruditè deducit *Athanaſius Kircherus* è Societate JESU, & *Hieronymus Vitalis* Cler. Reg. vulgò Theatinus in ſuo Lexico Mathematico, Aſtronomico & Geometrico. (*l*) Non poſſum etiam hoc loco non vehementer mirari, quî fieri potuerit, ut homini erudito, & de *Deipara* rectè ſentienti (qualis ſupponitur eſſe *Autor Anonymus*) diſpliceret, aut diſſiperet *Dulcedo*, quam pia Mariani nominis recordatio in animis *Deiparam* ſincerè amantium, & colentium ingenerat, & inſtillat. Si enim æquè ac mors amara, & acerba nobis accidit *Evæ Protoparentis noſtræ* memoria, propter cibum quem Serpenti magìs, quàm DEO, obediens, omnibus ſuis poſteris obtruſit; an non longè ſuaviſſima, & dulciſſima accidere nobis debet, *Mariæ Generatricis noſtræ* recordatio, quæ DEO obediens toti humano generi ſuaviſſimum ſalutis antidotum propinavit, & Panem *qui*

dat

(a) *ſerm. 3. de Nom. Mariæ.* (b) *l. de caſto connub. c. 9.* (c) *l. 3. in Cant.* (d) *Orat. de laud. V.* (e) *Orat. in ſalut. Angel.* (f) *ſerm. de Dom. pal.* (g) *in Caten. Corder. ad c. 1. Lucæ.* (h) *l. 4.* (i) *Orat. 2. de dorm.* (k) *Orat. in Hypap.* (l) *pag. 113. & 314.*

Digitized by Google

dat vitam mundi & omne delectamentum, ac ſaporem ſuavitatis in ſe continet, ſuppeditavit? An non *Dulcedo* noſtra caſtiſſimo amoris affectu nuncupetur *Virginum pulcherrima*, de qua dixit *D. Rupertus*: (*a*) *Quando Spiritus Sanctus in Te ſupervenit, & Filium DEI Virgo concepiſti, Virgo genuiſti; tunc Tu, & ex tunc pulchra es puchritudine divinâ; Divinâ inquam,* hoc eſt, *non illâ ſolâ, quam præferebat externa Virginei Corporis ſpecies, & fuit* juxta Richardum *Victorinum* (*b*) Pulchritudini *Chriſti:* (qui erat juxta Prophetam, (*c*) *Specioſus formâ præ Filiis hominum*) ſimlilima; verùm etiam, & vel maximè *pulchritudine internâ*, quam illi conciliavit Sanctitas, & Gratia juxta illud Cantici Salomonei: (*d*) *Ecce Tu pulchra es amica mea*: quem locum Chaldæus Paraphraſtes ità vertit, & legit: *quam pulchra eſt Majeſtas Sanctitatis Tuæ!* An non denique *dulcis*, imò ipſa *Dulcedo MARIA*? cui *Rupertus, Bernardus, Ildephonſus*, & alii tum *Patres*, tum *Doctores* accommodant illud Canticorum: (*e*) *Favus diſtillans labia tua Sponſa, mel, & lac ſub lingua tua.* Siquidem nonniſi mellita, omniſque *Dulcedinis* referta verba ab ejus ore profecta fuiſſe facillimum eſt advertere, ſive eam cum *Angelo* in *Nazareth* (*f*) ſive cum *Eliſabetha* in domo Zachariæ (*g*) ſive cum *Filio* poſt triduum in *Templo* invento (*h*) vel cum eodem in nuptiis *Canæ Galileæ* (*i*) loquentem attendamus. *Sed multis* (ità querulatur (*k*) Petrus *Caniſius*) *corruptus eſt ſtomachus, & palatum manet infectum, ut nec guſtare nec digerere poſſint, qualem quantámque dulcedinem, Mariæ dicta, facta, dotes, dolores, conſolationes, merita, præmia ſecum adportent: ſolùm enim à Spiritualibus iſta percipiuntur; ſtupidi ſunt planè, ac cæci, qui cùm Chriſtum & Mariam in ore quidem geſtent, nullo tamen ferè ſenſu intimo complectuntur, ac interim ex ſe alios tàm ſtolidè metiuntur, ſi qui tum Chriſtum, tum Mariam modo dulciſſimo ſibi ſentiunt communicari, ut & ipſi ſecundùm ſpiritum per Mariam, & cum Maria, & ob Mariam mirabiliter exultent in DEO ſalutari ſuo.* Hactenus ſuis verbis *Marianæ gloriæ* propugnator *Caniſius*. Verùm ego mitiùs & benigniùs de doctrina, genio, & ingenio *Autoris Anonymi* ſentiens, totum diſguſtum, quem contra *Marianam Dulcedinem* videtur concepiſſe alicui (juxta ſuprà dicta) bilioſæ affectioni, quam in ipſo teneriores *Mariæ Cultores* cauſaverunt, adſcribo, & quia *Maria* juxta *Richardum* (*l*) *à S. Laurentio*: eſt *Apotheca Chriſti Medici*, ſuadeó ut comparato ſibi ex hac pharmacorum officina, ſinceræ dilectionis Rhebarbaro, ſuam bilem expurget; aut ſi etiam malo alicujus atræ bilis (quod præſumere non auſim) contra memoratos Mariæ Cultores ſpiritu, ſicut olim *Saul* (*m*) contra *Davidem* agitetur, hortor, ut lo-

co

(*a*) *l. 1. 6 Cantic.* (*b*) *ad c. 2. Cant.* (*c*) *pſ. 44.* (*d*) *c. 1.* (*e*) *Cant. 4* (*f*) *Lucæ. 1.* (*g*) *ibid.* (*h*) *Lucæ. 2.* (*i*) *loco. 2* (*k*) *l. 5 de Deip. c. 13* (*l*) *l. 10.* (*m*) *l. 1. Reg. c. 18.*

Digitized by Google

co Citharæ Davidicæ, Mariam ad animi ſui præſentiam tenerâ, piâ & frequenti Nominis, ac Excellentiarum ejuſdem meditatione, advocet. Eſt enim Ipſa juxta *D. Andream Cretenſem,* (*a*) *Organum lætitiæ* : & juxta *S. Damaſcenum,* (*b*) *Inexhauſtum pelagus gaudii, & unica mœroris obliteratio.*

ANIMADVERSIO XXIX.

Autor Anonymus perperàm offenditur luminibus ante aras & Imagines Deiparæ ac Sanctorum copiosè collucentibus.

ANimadvertendum *Vigeſimononò, Autorem Anonymum,* ut Marianam gloriam. quam devoti ejuſdem Clientes, variis religioſæ pietatis officiis, in dies magis, ac magis illuſtrare conantur, vel obſcuret, vel etiam extinguat, inſtar Veſpertilionum (quo titulo non uno in loco SS. Patres, Hæreticos afficiunt) calami ſui pennas ſtrinxiſſe contra luminaria ante Thaumaturgas Deiparæ imagines copiosè lucentia; ſic enim loquitur in fucatâ pietate colorato ſuo Monito, in perſona Sycophanticæ *Deiparæ* Num: 16. propoſito: *Curam potiùs habete de Chriſto, qui eſt ſplendor gloriæ, & viva imago DEI inviſibilis, quàm de mortua imagine creaturæ. An putatis mihi placere, quod ſplendeant luminaribus imagines meæ, dum juxta illas ſquallent receptacula Filii mei, &c.* Quibus verbis ſub pretioſo prætextu conſulendi honori SS. Euchariſtiæ, ne uno quidem palmo videtur recedere à ſectandis veſtigiis famoſi inter veteres Hæreſiarchas *Vigilantii,* qui ante annos plus quàm mille ducentos multis calumniis inſectatus fuit paſſim id temporis receptum inter Chriſtianos morem ſuccendendi luminaria apud ſepulchra, & aras Martyrum, eóſque eatenus honorandi. Cujus acrem Antagoniſtam egit *S. Hieronymus* integro libro contra Vigilantium, & Epiſt: 53. c. 3. ubi inter cætera ſic illum alloquitur : *Quid inde* (hoc eſt ex devota luminum accenſione) *perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum : ſed Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa Mulier in honorem Chriſti hoc fecit, devotióque mentis ejus recipitur, & quicunque accendunt cereos, ſecundùm fidem ſuam, habent mercedem, dicente Apoſtolo : Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet, &c.* Et quanquam ibidem citatus S. Doctor reprehendat nonnullos, qui non ſecundùm ſcientiam iſta præſtabant, & ex Gentilium errore putabant ſe per ejuſmodi lumina prælucere Martyribus & præſtare obſequi-

T um,

(a) *Orat. de Annunc.* (b) *Orat. 2. de Aſſumpt.*

um, haud abſimile ei, quod præſtant famuli Domino facem præferentes, nè inter occurſantes tenebras alicubi offendat, ideóque eos deridens dicat: *Magnum honorem præbent hujuſmodi homines Beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore Majeſtatis ſuæ, illuſtrat.* Rectum nihilominus ejuſmodi luminum uſum eſſe poſſe, & ad conteſtandam Fidelium erga Sanctorum Martyrum lipſana, & imagines eorundem venerationem plurimùm deſervire, pluribus locis apertè profitetur iteratò citatus S. Doctor, & confirmat, ac probat vetus exemplum populi Conſtantinopolitani longo ordine procedentis ad littus, ut demortui Joannis Chryſoſtomi ſanctum corpus in navi Conſtantinopolim advectum, debitâ veneratione exciperet. Tunc enim univerſus populus (utì narrat (a) *Theodoretus*) per pelagus quaſi per terram currens undas Boſphori lampadibus, & cereis contegens huic ſacro pignori obviavit. Nec ſanè immeritò: ſi enim juxta *Godinum* c. 6. de Offic: *Imperatoribus, & Patriarchis Conſtantinopolitanis* faces etiam de meridie honoris gratiâ præferri in uſu erat: & Pandectæ Florentinæ, uti ſcribit *Angelus Politianus* lib. 10. epiſt: 4. quia cenſentur primigenium exemplar, non oſtenduntur, nisì accenſis funalibus; quidni ſimili honore ſacras Patriarchæ ſui Joannis exuvias proſequeretur *Senatus Populúſque Conſtantinopolitanus?* Sed demus etiam *Autorem Anonymum* à perverſiſſimo Vigilantii dogmate fuiſſe admodum alienum; negari tamen non poteſt, ipſum ſuo inconſulto Monito dare anſam & occaſionem Hæreticis Novatoribus ſuſcitandi veterem & pridem abolitam memorati Vigilantii contra genuinos Eccleſiæ Catholicæ filios calumniam, & affingendi illis turpiſſimum errorem, tum Ethnicorum, tum Paganorum, quo, ut Autor eſt *Lactantius Firmianus*, deluſi, de luminibus ad ſua ſepulchra ſtatis temporibus accendendis per publicas tabulas, ſibi ſolicitè providebant, nè, Sole poſt mortem ab iis recedente, in tenebris deliteſcerent. Quâ de re pluribus conſtat ex *L. Mævia decedens* ff. de manumiſ: Vindic: ubi teſtator libertatem eâ conditione Servo tribuit, ut ſingulis menſibus lampadem ad ſuum ſepulchrum accenderet. Nec refert hunc errorem præter complures alios abuſus, olim è Paganiſmo, in nonnullas Hiſpaniæ Eccleſias irrepſiſſe: illicò enim ſpeciali Canone ipſum damnavit, & execratum fuit *Concilium Eliberitanum*, quod fuit celebratum ante primum *Concilium Nicænum*, diſertè profitendo hoc genere obſequii (luminum ſcilicet, cum ejuſmodi intentione accenſione) Spiritus Sanctorum, non tam honorari quàm inquietari. Cæterum ſecluſo hoc Ethnicorum, & Paganorum errore, accenſionem lu-

(a) l. 5. hiſt. Eccl. c. 36.

Digitized by Google

luminum, coram ſacris Divorum reliquiis, & piis Deiparæ, ac Sanctorum imaginibus, non ſolùm in templis, verùm etiam privatis ædibus aut compitorum angulis (quâ aliquos olim fuiſſe offenſos teſtatur ſeptima Synodus (a) idem referens de incenſione thuris, & odoramentorum) illam inquam luminum accenſionem, ab omni anomalia pietatis indemnem eſſe, & inter ſigna externæ venerationis rectè adnumerari, atque licitè, & laudabiliter à Fidelibus uſurpari, definit eadem Synodus, docètque lumen, quod ante imagines Sanctorum accenditur, eſſe ſymbolum luminis immaterialis, à DEO Sanctis collati; quòd verò ante icones, Divinam aliquam perſonam repræſentantes, collucet, ſymbolum eſſe Deitatis, quæ ignis conſumens eſt, & proteſtationem Divinarum perfectionum, quas ad triginta in igne deprehendit *S. Dionyſius* de divin: Nom: c. 4. Sed & ex parte noſtra, ejuſmodi luminum accenſionem eſſe, conteſtationem & profeſſionem Fidei tàm quoad Deum, quàm quoad Sanctos, conſtans ſemper fuit antiquiſſimorum Doctorum traditio, & patet ex veteri ritu Chriſtianorum, qui idcircò in ſuorum funeribus multa lumina accendebant, ut quemadmodum obſervavit *Nicolaus Serarius*, (b) profiterentur, & defunctum dum viveret, & ſe, qui ejus funus hìc & nunc comitarentur, non hæſiſſe, aut hærere in tenebris errorum gentilium, ſed ſequi ductum veri, & immortalis luminis Chriſti JESU, qui eſt vera lux, quæ illuminat omnem hominem in hunc Mundum venientem, & de illo exeuntem, cujus meritis miſericordiam expectarent. Generatim autem & luminum accenſionem, & thuris, atque aliorum odoramentorum incenſationem, & ſi quæ ſimilia ſunt externæ venerationis argumenta, SS. imaginibus *Deiparæ, ac Sanctorum* abſque labe, & juſta reprehenſione exhiberi poſſe, revincitur exemplo humano. Nemo enim neſcit vetuſtis temporibus Imperatorum, quamvis non admodum laudatorum icones, adhibitis odoramentis, atque luminibus excipi ſolitas, non ab Ethnicis modò, ſed etiam à Chriſtianis. Quâ de re extant antiquiſſima *Gratiani, & Theodoſii Junioris* piiſſimorum Principum decreta, in Codice Juſtinianeo, relata. (c) Imagines quoque ſummorum Principum ab ipſis, cùm primùm inaugurabantur in provincias transmitti ſolitas, non ſolùm luminis accenſione, verùm etiam aliis venerationis obſequiis, excipi ſolitas, videre eſt apud *S. Gregorium* lib. 11. epiſt: cùm ait, de tranſmiſſis *Phocæ & Leontiæ* Auguſtæ imaginibus, & apud *Gregorium II.* in Epiſt: 1. *ad Leonem Iſaurum*, approbavitque ſeptima Synodus, dum ait, *Laurata, & iconas, quæ mittuntur ad Civitates & regiones, obvii adeunt populi, cum cereis, & incenſis, non cerâ perfuſam tabulam, ſed lu-*

(a) *actor. 4.* (b) *l. 2. de proceſſ. c. 5.* (c) *leg. unica publ. lætit. leg. 12. Cod. & l. unica Cod. Theodoſ. de Imag. Imper.*

peratorem honorantes. Quòd ſi igitur profanas Principum terrenorum icones, & luminis accenſione, & pretioſorum aromatum incenſatione, citra periculum erroris & idolomaniæ à Chriſtianis honorari poſſe judicârunt ſummi Pontifices, & approbat Oecumenica Synodus; quidni potiori jure, id genus venerationis concedamus ſacris Deiparæ, & Sanctorum imaginibus; cùm (uti jam ſæpiùs dictum & inculcatum eſt) totus ille honor in majorem DEI, & Chriſti gloriam ultimò redundet. Verùm *filii tenebrarum* (utor verbis (a) Petri Caniſii) *antiqvum obtinent, & nunc quoque cum ſuo Patriarcha Vigilantio rident Eccleſiæ ſimplicitatem, quæ ad Sanctorum memorias, vel claro die cereos accendit, ut ità nos de illorum, & anteacta, & præſente vita commonefaciat. Etenim perinde ac luminaria quædam in hoc mundo, adeòque in medio nationis perverſæ jam olim illi ſplenduerunt, & nunc ab Agno, qui in medio throni eſt, clariſſimè illuminantur, ſuúmque fulgorem ad nos, ac totam Eccleſiam uſque transfundunt. Maria verò electa ut Sol inter Cælites omnes, divino tum gratiæ, tum gloriæ lumine mirabiliter emicat, nulla ut pura Creatura vel Angelos, vel homines in ſui admirationem rapiat magìs, ac ampliorem gratiæ ſplendorem hìs, qui in caliginoſo mundo verſantur, mortalibus apud Deum impetrare poſſit. Cur igitur ſi ulli Sanctorum alii, Deiparæ imprimis Virgini, quæ novo velut lumine cælum & terram illuſtrat, lumen quoddam ardens honoris gratiâ, & ob populi admonitionem non exhibeatur?* hactenus citatus *Petrus Caniſius.* Quod porrò cautelam, quam in Monito à me hîc impugnato *Autor Anonymus* adjecit his verbis: *Cavete nè in iſtis ornamentis, & donariis veſtris magìs inveniatur voluntas veſtra, quàm honor Dei, & amor mei*; quod hanc inquam cautelam attinet, ea videtur eſſe, aut animi malignantis, & optimaquæque in pravum ſenſum detorquentis; quam ſufficienter confutavit *D. Hieronymus* ſuprà, cùm dixit: *quicunque accendunt cereos &c.* aut facilè retorqueri poteſt contra ſuum Autorem, qui dum hæc Monita ſcriberet, non voluntati Divinæ, ſed ſuæ & ſiniſtro affectui erga Cultores Deiparæ videtur fuiſſe obſecutus.

ANIMADVERSIO XXX.

Autor Anonymus non ſatìs Catholicè improbat ſumptus, qui à Fidelibus impenduntur in ornandas Deiparæ, & Sanctorum Statuas.

ANimadvertendum *Trigeſimò*. *Autorem Anonymum* haud parum fuiſſe offenſum, & ſcandalizatum, profuſâ *Fidelium* in exornandis Deiparæ ſta-

(a) l. de Dc p. c. 23.

Digitized by Google

ſtatuis, & imaginibus munificentiâ; cui caſtigandæ, & moderandæ obtendit vetus illud Judæ Iſcariotis: (*a*) *Ut quid perditio hæc? poterat enim unguentum iſtud venumdari multo, & dari pauperibus.* Quocirca Marianos Mecœnates, ſub ficto, & fallaci *Deiparæ* ſchemate, ità alloquitur Monito XVI. *Nè putetis me rectè diligi, ſi ſtatuæ meæ pretioſis veſtibus, & monilibus fulgeant; Chriſtus verò in pauperibus egeat, aut fame, vel frigore pereat. Pro eo enim, quòd Eccleſias non ornavit, nemo unquam accuſatus fuit; pro eo autem, quòd pauperum non ſit miſertus, gehennæ, & ignis inextinguibilis minæ ſunt intentatæ.* S. Chryſoſtom. homil. 1. in Matth. Quibus verbis haud obſcurè oſtendit oculos ſuos vehementer perſtrinxiſſe opulentiſſimas *Domus Lauretanæ in Italia; Montis Serrati in Hiſpania; Oetinganæ in Bavaria; Hallenſis in Hannonia; Cellenſis in Styria,* & aliarum ædium Deiparæ ſpeciali titulo ſacratarum theſauros, ex pretioſiſſimis ſummorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, Marchionum, & omnis ſexûs, ac conditionis Dynaſtarum donariis, conflatos; quos ipſe ſi liceret, illicò pauperibus, ſive Chriſtianis, ſive Turcis (nam etiam ad hos præceptum Charitatis proximi ſe extendit) diripiendos traderet, & ipſas etiam Thaumaturgas Deiparæ ſtatuas (quas in eodem Monito *mortuas creaturæ imagines* per contemptum appellat) novus Iconoclaſta peſſumdaret, & exterminaret. Evaporat nempe in hoc Monito ex *Autoris Anonymi* calamo, veluti quodam camino, peſtilentiſſimus tum veterum, tum recentiorum *Hæreſiarcharum*, putà *Vigilantii, Lutheri, Calvini,* & ſimilis farinæ *Pſeudo-Doctorum* ſpiritus, quos ex auguſto Templorum, & imaginum *Deiparæ,* ac *Sanctorum* ornatu, ſpecialem *Eccleſiæ Catholicæ* invidiam, ſub ſpecioſo prætextu patrocinii pauperum, conflare voluiſſe multis oſtendit, & egregiè confutat *Petrus Caniſius;* (*b*) & poſt ipſum inſignis Doctor *Lovanienſis Paludanus* his verbis: (*c*) *Ringuntur Beatæ Virginis hoſtes, ejus imaginem benè cultam, & decoratam in templis noſtris apparere: ſed meminiſſe oportet decori rationem hoc poſtulare, quæ ſpectatores Heram à Serva, & Matrem Domini à vulgaribus internoſcere, illámque unam, quæ inter mulieres omnes benedicta floret, ac regnat, ſpecialiter venerari docet. Dum itaque nihil ſumptuum fieri circa imagines patiuntur, tanquam novi Catones, leges ſumptuarias ferunt, ut de ſolis egenis benè mereantur, nullóſque ſumptus in ſacra Templa conferantur. Interim ſub hoc ſpecioſo prætextu erogandæ pauperibus Eleemoſynæ, ſuo commodo magis conſulunt, quàm egentium profectum quærant: omnem ferè prodigalitatem alibi tolerare poſſunt; in æterno DEI, & Sanctorum cultu, ſummam exigunt tenacitatem; veterem Judæ cantionem illam, tanquam illius Collegæ, & Socii iterantes: UT QUID* PER-

T 3

(*a*) *Ioan.* 12. (*b*) *l.* 5. *de Deip. c.* 23. (*c*) *in Apologet.*

Digitized by Google

PERDITIO HÆC? Hactenus *Paludanus.* Cujus diſcurſus tametſi pluribus argumentis ad retundendam *Hæreticorum* malevolentiam à me poſſet illuſtrari, & manifeſtè oſtendi ejuſmodi ornatum, plus ad majorem *DEI* gloriam (qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, longè autem mirabilior in *Matre* ſua) quàm horum honorem proficere, & exteriori hoc templorum & ſacrarum imaginum ornatu, ac nitore, Fideles ad auguſtiorem myſteriorum noſtræ Fidei æſtimationem, & venerationem provocari, ideóque rectè *Synodum Aquiſgranenſem,* quæ olim ſub *Pipino* habita fuit, ad inſtar *Judæ* habuiſſe eos, quibus ſub prætextu pauperum, dona Deo, & Eccleſiæ oblata, diſplicerent; licèt inquam his, & ſimilibus argumentis, inſolens hoc, & Cultui Deiparæ, ac Sanctorum magnoperè præjudicioſum *Autoris Anonymi* Monitum, impugnari poſſet: libet nihilominus paucas tantummodò ſequelas, quæ ex hoc Monito in ſublevanda pauperum neceſſitate, callidâ ſimulatione, fundato, deduci poſſunt, & in libello cui titulus: *Reflexiones ſuper approbationibus &c.* inſinuatæ ſunt, denuò repetere, & exinde Moniti iſtius fallaciam, & malè fundatas conſequentias Lectori ob oculos ponere. Si enim per Te *Autor Anonyme* impium, & perverſum eſt, pretioſa donaria ornandis Deiparæ ſtatuis, ac imaginibus offerre, & argentum, vel aurum præteritis templis, & Sacrariis illius, pauperibus impendere; eò quòd ſubvenire pauperibus ſit opus præcepti, alterum verò tantùm conſilii; ergò idem dicas neceſſe eſt de auro, & argento, quod in thecas oſtenſorias, in quibus Sanctiſſimum Chriſti corpus, ſub ſpeciebus panis, populo venerandum proponitur, & vulgò *Monſtrantiæ* appellantur, impenditur. Idē etiā de Tabernaculo, in quo prædictum Sanctiſſimum Sacramentū, in ægrorum, ac moribundorum ſupremo viatico inſtruendorum, ſubſidium aſſervatur; idem denique de quibuslibet vaſis, & ornamentis, ſpecies conſecratas mediatè vel immediatè contingentibus; quæ tamen Tu ipſe fateris poſſe, & debere, neglectis Statuis Beatiſſimæ Virginis multo auro ac argento obveſtiri: quod utique negare debuiſſes, ſi habitâ ratione pauperum conſequenter diſcurrere voluiſſes. Pro eo enim (ut argumento à Te ex Chryſoſtomo perperàm citato utar) quòd aliquis oſtenſoria Corporis Chriſti, aut Tabernacula eidem aſſervando deſtinata, ex auro, & argento *fabrefieri non procuraverit, nemo unquam accuſatus fuit; pro eo autem, quòd pauperum non ſit miſertus gehenna & ignis inextinguibilis minæ ſunt intentatæ.*

Verùm non eſt *Autori Anonymo* cura pauperes ſublevare, ſed cultum Deiparæ convellere, & lunam Hæreticæ pravitatis, quam Maria habet ſub pedibus, ſuper caput illius attollere. Si enim ab omni ſiniſtro in Sanctiſſimam Vir-

Virginem affectu illimes oculos, in imagines ejuſdem pretioſis donariis exornatas, convertere voluiſſet; facilè notâſſet, ex Epiſtola *S. Germani* Patriarchæ Conſtantinopolitani à Synodo Nicæna approbatâ, illam pretioſam, & auro, argento, ac lapidibus pretioſis intertextam ſupellectilem, quâ Deiparæ ac Sanctorum imagines, templa & aræ exornantur, ad ipſum *Chriſtum*, tanquam Sanctitatis omnis fontem, derivari. *Sequitur ſecundò*, quidquid ſumptuum ſupra id, quod ad conſervationem Cultûs Divini ſimpliciter neceſſarium eſt, in ejuſdem ſplendorem, & auguſtiorem ornatum impenditur, id totum cedere in præjudicium pauperum, quorum miſeriis & neceſſitatibus potuiſſet, & juxta indiſcretam *Autoris Anonymi* Theologiam, debuiſſet ex præcepto Charitatis proximo debitæ, provideri. Non oportebat proindè, nec defactò oporteret, ædificari templa lapidea, multóque minùs marmorea, ſiquidem ſuffeciſſent lignea, neque ſuppeditare calices aureos, vel argenteos; ſiquidem conſecrationi ſpecierum ſuffeciſſent ſtannei, vel cuprei; neque veſtes ſacrificantium confici ex materia ſericea, vel aurea; ſiquidem ſuffeciſſent linea vel etiam coriacea &c. quidquid verò his redundat, id totum eſſe inter ſpolia pauperum numerandum. Valet namque etiam hìc apocryphum Chryſoſtomi argumentum: *Pro eo quòd quis Eccleſias lapideas aut marmoreas non ædificavit, aut calices ex auro, vel argento pro ſacrificio Miſſæ non ſubminiſtravit &c. nemo unquam accuſatus fuit; pro eo autem quòd pauperum non ſit miſertus, gehennæ, & ignis inextinguibilis minæ ſunt intentatæ.* Verùm, quia huic ſequelæ *Autor Anonymus* non multùm fortaſſe refragabitur, & ſicuti multa alia argumenta, contra ornatum templorum, altarium, & ſacrarum imaginum, ex veteri, & obſoleta Hæreticorum pharetra deprompſit, ita hìc, cum iiſdem, ad exemplum primitivæ Eccleſiæ (quæ in ſacrorum apparatu admodum parca extitit) provocabit; ut hoc ei telum excutiam, fateor perlibenter vilem alicubi, primis præſertim Eccleſiæ temporibus, fuiſſe ſacram ſupellectilem, aureis tunc Epiſcopis & Sacerdotibus lignea, vel etiam fragilioris alicujus materiæ vaſa, ad ſacrum myſterium adhibentibus, ídque exemplo Chriſti, quem ſacra myſteria celebrantem vili catino, & calice, in ultima cœna uſum fuiſſe, docet *Clemens Alexandrinus*, (*a*) & poſt ipſum aurei oris Eccleſiaſtes *Chryſoſtomus*. (*b*) unde factum, ut eo provocati, & inducti nonnulli Sanctorum, tum Epiſcoporum, tum ſimplicium Sacerdotum (prout videre eſt (*c*) apud *Theophilum Raynaudum*) olim etiam vitreos, cupreos, ſtanneos, imò & ligneos calices, ad conficiendum, & aliis miniſtrandum ſacrum ſanguinem adhibuerint, exiſtimantes dictum Principis Apo-

(a) 2. pædag. c. 3. (b) homil. 51. (c) tom. 1. Heteroclyt. ſpirit. ſect. 2. punct. 3.

Digitized by Google

Apoſtolorum: (*a*) *aurum & argentum non eſt mihi*, uſque ad ipſum uſum Sacrorum ſe ſe extendiſſe. Verùm hanc præfatorum Sanctorum parſimoniam fuiſſe nimis exactam, atque conciliandæ ſacrorum myſteriorum æſtimationi, ac venerationi non ſatis proficuam, ideóque ab ipſis ſtatim naſcentis Eccleſiæ primordiis improbatam, & vaſa ſacris uſibus, præſertim conficiendo, & miniſtrando Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, deſtinata, ex auro, & argento fabrefacta, *patet* tum ex *Canone* 72. *Apoſtolorum*, ubi mentio eſt vaſorum aureorum, & argenteorum, quæ nefas eſſet verti in uſum profanum; tum ex actis *Sancti Urbani*, qui univerſam Eccleſiam, durante Valeriani perſecutione, gubernavit, & fuſo pro Fide Chriſti ſanguine decoravit: ubi refertur (*b*) ipſum omne ſacrum miniſterium feciſſe argenteum, nominatimque 25. pateras argenteas fabricâſſe. Sed & temporibus *S. Cypriani*, qui *S. Laurentio* Martyri coævus extitit, ſacra vaſa, è pretioſa materia, auro, ſcilicet & argento, in uſu fuiſſe, teſtatur *S. Ambroſius*. (*c*) Vaſorum item aureorum & argenteorum Eccleſiæ attributorum mentio eſt, in Concilio Nicæno Canone 63. Et ut cætera taceam, unde olim tanti Tyrannorum præcipuè *Decii, Numeriani, Diocletiani, & Juliani Apoſtatæ* contra Chriſtianos perſecutionum æſtus, quàm ex avaro theſauros Eccleſiaſticos, & ſacra vaſa diripiendi, ac expilandi deſiderio? Quòd ſi à primis naſcentis Eccleſiæ incunabulis, ad ejus adoleſcentiam, & progreſſus, factis Regibus ejus nutritiis, tranſeamus, quàm pretioſa & copioſa fuerit tunc ſacra Supellex, colligere eſt ex *Cyrillo Jeroſolymitano*, (*d*) qui de his temporibus agens, Eccleſiam multo auro, & argento indutam & pretioſis monumentis ſplendidam, inducit. Altaris quoque gemmis, & lapidibus pretioſis diſtincti, ſub eadem tempora, meminit *D. Hieronymus*: (*e*) cui adſtipulans magnus Eccleſiæ *Doctor Auguſtinus* (*f*) pleraque inſtrumenta, & vaſa, quæ in uſum celebrandorum Sacramentorum, in Eccleſia adhibeantur, ex auro & argentó, quod Religioſa Fidelium largitas ſuppeditabat, confecta fuiſſe disertè atteſtatur. Taceo ea, quæ de ſacris, iiſque pretioſiſſimis vaſis, ab *Imperatore Juſtiniano* Ædi Sacræ à ſe conſtructæ illatis, quorum multitudo à nemine ſatis enarrari poſſit, ſcripſit *Procopius* (*g*) inter quæ ſpeciatim fuiſſe menſam ſacram, ex omnibus pretioſis gemmis, & lapidibus, quæ in terra, & in mari ſunt, confectam, teſtis locuples eſt *Cedrenus*.

Rem denique ſupervacuam aggrediar, ſi, quàm pretioſis omnis generis donariis, & ornamentis, quibuſvis ſeculis abundârit Eccleſia, velim pluribus enarrare, cùm ubivis regionum, & locorum extent propè innumera religioſæ hu-

(a) *Act or.* 3. (b) *Anaſtaſ. in ejus vita.* (c) *l.* 2. *offic. c.* 18. (d) *Catech.* 14. (e) *Epiſt.* 2. *&* 8. (f) *Conc.* 2. *in pſ.* 113. (g) *l.* 1. *de ædific. Juſtin.*

Digitized by Google

hujus, & privatorum, & Principum magnificentiæ ſplendidiſſima argumenta. Ex quibus proindè rectè ingentis temeritatis & impietatis eos arguas, qui profuſam Fidelium in Eccleſiarum, altarium, imaginum & ſimilium, ad Divini Cultûs incrementum conducentium liberalitatem audent reprehendere, vel taxare. Cedit namque plurimùm, prout ſuprà obſervatum eſt, extrinſecus iſte apparatus & ſplendor ad conciliandum rebus ſacris venerationem, & æſtimationem, adeò, ut graviſſimus Sæculi ſui Scriptor *Tertullianus* (*a*) diſertè aſſerat, olim apud Ethnicos magnos apparatus Sacrificiorum, eorum ſacra, quamvis turpia effeciſſe veneranda: è contrariò autem pleriſque Infidelium res Chriſtianas idcircò viluiſſe, & obſoleviſſe, quòd illâ adjunctorum illuſtrium pompâ eſſent deſtituta. Occurrit inſuper hoc loco vehementer mirandum, *Autorem Anonymum*, ſi ſincerum & non fucatum pauperum Patronum agere inſtituit, tantoperè zelâſſe contra exquiſitum, & pretioſum ornatum Sacrarum Deiparæ & Sanctorum Imaginum, & non eodem Zelo inflammatum fuiſſe ad deteſtanda pretioſa, & ſumptuoſa, ſive ſæcularium Principum, ſive Prælatorum Eccleſiaſticorum convivia; abacos aureos & argenteos; palatia & domos divite ſupellectile inſtructas; conclavia pretioſis aulæis & picturis veſtita; famentibus interim, & ante domos eorundem frigore tantùm non rigeſcentibus, tot pauperibus & egenis. Non eſt ſcilicet illi (quod etiam ſuprà monui) cura de pauperibus ſublevandis, ſed de Cultoribus Marianis à Sanctiſſimæ DEI Genitricis obſequio, & veneratione arcendis, & avertendis. Verùm libet hinc tranſire *ad Tertium*, quod ex præpoſtero *Autoris Anonymi* Monito conſequitur *abſurdum*: ſequitur enim turpiter erràſſe, & graviter contra charitatem proximis indigentibus debitam, deliquiſſe, ſupremos quoſque ab ipſo ſtatim Chriſtianæ Religionis exordio, ad noſtra uſque tempora, Reges ac Principes; putà *Conſtantinum Magnum* cum Matre ſua *Helena*; *Theodoſium* cum Sorore ſuâ Virgine ſimul & Imperatrice *Pulcheria*; *Leonem Magnum*, & *Juſtinianum*, *Pipinum*, *Carolos*, *Ludovicos*, *Ottones*, *Henricos*, *Stephanos*, *Ferdinandos*, & alios Orbis Monarchas, de re Chriſtiana alioqui optimè meritos: quòd non attentis neceſſitatibus pauperum & calamitoſorum, quorum, quovis tempore, magnus numerus haud defuit, magnificentiſſima Templa, & Baſilicas honori *Deiparæ & Sanctorum*, in Imperio tam Orientali, quàm Occidentali, ingentibus ſumptibus, extruxerint, & augendo, ac conſervando eorundem ſplendori integra regna, & provincias addixerint. Pro eo enim (ut denuò argumentum *Autoris Anonymi* proſequar) *quòd aliquis Eccleſias ex marmore, aut lapide Pario non ædifica-*

(*a*) *l. contra Valent. c. 2. & l. de Baptiſ. c. 2.*

Digitized by Google

caverit, aut magnificentiſſimas Baſilicas, quales ſunt, Vaticana, Mediolanenſis, Conſtantinopolitana, & ſimiles, non erexerit, nemo unquam accuſatus fuit: pro eo autem quòd Pauperum non ſit miſertus, gehennæ & ignis inextinguibilis, minæ ſunt intentatæ. *Sequitur* præterea parum pios, imò crudeles fuiſſe eos Reges, & Principes, qui nihil penſi habentes, tot egenorum, orphanorum, & Chriſtianorum apud barbaros & infideles captivorum calamitates, ſtatum Eccleſiaſticum immenſis opibus ditaverunt, & pinguiſſima beneficia fundando, non ſolùm neceſſitati, & utilitati, verùm etiam ſplendori & honeſtæ voluptati, ac deliciis ejuſdem Statûs, proſpexerunt. quod tamen ab iis piè, & religiosè factum, atque ab Eccleſia rectè, ac laudabiliter admiſſum, nemo ſincerè Catholicus facilè negaverit; & poſitivis ac ſolidis argumentis, contra Sectarios noſtri temporis, oſtendunt præclariſſimi quique Statûs Clericalis Patroni, & ſpeciatim *Robertus Bellarminus*, (a) *Simancas*, (b) & alii. Quantæ porrò opes vel ſoli Romanæ Eccleſiæ ex liberalitate, & munificentia ſummorum Principum, obtigerint, facile videre eſt apud *Thomam Stapletonum* de magnitudine Romanæ Eccleſiæ, & *Thomam Bozium* de opibus & cenſu Eccleſiarum. Sanè vel ſolus *Conſtantinus Magnus* tantum Eccleſiæ Romanæ donâſſe ſcribitur, quantum judicio graviſſimorum Autorum alendis ferè omnibus Italiæ pauperibus in perpetuum ſuffeciſſet. Et *Carolus* ille *Magnus*, & Chriſtianorum Principum longè maximus (utì de eo teſtatur (c) *Cranzius*) tribus annis antequam è vita migraret, teſtamentum condidit, in quo duas partes relictæ à ſe pecuniæ, quæ erat longè maxima, cùm jam templa & clauſtra Religioſorum plurima extruxiſſet, dari juſſit Epiſcopis ad reficiendas, & ornandas Eccleſias; ſolâ tertiâ, quæ in filios, filias, & reliquos domeſticos, diſtribueretur, extra cenſum Eccleſiaſticum relictâ. Et ut reliquarum Eccleſiarum opes præteream, ſolam *Eccleſiam Gallicanam* numerare in cenſu annuo centum quatuor milliones, & quingenta millia aureorum, autor eſt *Theophilus Raynaudus*, in ſua Centuria hiſtoriarum. Quæ ſumma ingentem Gallicorum Regum & Principum pietatem, apud omnes de Orthodoxa Fide rectè ſentientes, magnoperè commendat; ſolo improbante eam *Autore Anonymo*, & juxta principia, ità contra illam procul dubio tacitè argumentante. *Ex eo, quòd aliquis Eccleſiam Romanam, aut Gallicanam, ampliſſimis opibus non ditaverit; aut Epiſcopatus, Canonicatus, Abbatias, Præpoſituras, & alias pingues Prebendas non fundaverit, nemo unquam accuſatus fuit; pro eo autem, quòd pauperum non ſit miſertus, gehennæ & ignis inextinguibilis, minæ ſunt intentatæ.* Verùm reſpondebit mihi fortaſſe *Autor Anonymus*, & ab illata ſummis Principibus

(a) *l. de Cler. c. 26. & 27.* (b) *in inſtit. Cathol. tit. 46. à num. 27.* (c) *in Metrop. 1. c. 18.*

Digitized by Google

bus injuria, ſe ſe purgabit, dicendo: ſupponendum eſſe præfatos Principes, ità ornatui, & ſplendori, tum Eccleſiarum, tum Statûs Eccleſiaſtici proſpexiſſe, ut ſimul ſublevandæ pauperum inopiæ non eſſent immemores. Rectè equidem judicâſti ſimulate pauperum Advocate: ſed cur non idem ſupponis de Cultoribus Marianis noſtri ſæculi ſacras Deiparæ imagines multo pretio, & ſumptibus exornantes? An te latent, tot ubivis locorum, præſertim in Italia, & Regina Urbium *Roma* erecta Hoſpitalia, Xenodochia, Orphanotrophia, Viduarum, & Virginum de pudicitia periclitantium, receptacula? An non quotidiè oculis intueris integros pauperum greges ante fores Eccleſiarum à Thaumaturgis præſertim *Deiparæ* ſtatuis, aut imaginibus celebratarum excubantes, & liberalē ab ingredientibus & egredientib⁹ ſtipē reportantes? Quis Te conſtituit Cenſorē, aut arbitrum, quid & quantū quivis *Fidelium* poſſit, aut debeat, in ornandas *Deiparæ* ſtatuas, vel uſum pauperum impendere? Túne ſolus es ille ſapientiſſimus *Solon*, à quo debeant Mariani Cultores leges ſumptuarias expectare? O! quàm vereor bone Vir, ut Tibi pientiores, & Te (licet utcunque doctus appareas) rerum, quæ ſecundùm rectam rationem agendæ ſunt, longè peritiores Deiparæ Clientes, obiiciant illud Apellis: *Ne Sutor ultra crepidam.* Nimiæ namque præſumptionis, & arrogantiæ eſt, velle ſummos quoſque utriuſque Reipublicæ, tam Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, Principes, impietatis & crudelitatis in pauperes, edito in publicum Monito, quaſi patentibus literis, arguere, & piam eorundem in ſacra munificentiam, perperàm deſumptâ (prout poſtea patebit) à Sanctis *Patribus* autoritate, ſinè ulla diſcretione, aut exceptione, ad ſolos pauperes reſtringere, & coarctare. Sed militat, inquies, pro egenis, & ſtipem paſſim efflagitantibus, præceptum Eleemoſynæ, quod non militat pro ornatu ſacrarum imaginum: & recta ratio dictat ea, quæ ſunt præcepti prævalere iis, quæ ſunt ſolius conſilii: nec poſſe DEO placere oblationes, quæ de ſpoliis pauperum deſumuntur. Ità equidem fallaciter pro ſe argumentatur, tam in *Deiparam* impius, quàm in pauperes ad ſpeciem pius *Autor Anonymus*; cujus fucum ut advertas, tria memento eſſe circa præceptum Charitatis, quoad ſuccurrendum proximo, non ſolùm in extrema, aut gravi, verùm etiam communi (licèt hoc poſtremum neget *Medina* & *Diana*) neceſſitate obligamur, obſervanda. *Primum*: Hoc præceptum non extendere ſe niſi ad bona ſuperflua, quæ utì eruditè notavit *Cajetanus*, non ſunt ſita in indiviſibili, neque de eorum ſuperfluitate judicandum eſt, ſubductis tantùm ſumptibus neceſſariis, verùm etiam convenientibus, ſecundùm ſtatum Perſonæ; ità ut juxta citatum Cajetanum, raro videatur contingere, ut homo ſecundùm ſtatum ſuum magnificè

vivens, ſuperflua habeat. Quoties tamen abſolutè ſuperflua ſuppeterent, meminiſſe utique oportet divites ejus, quod ſcripſit *Sanctus Auguſtinus* (*a*) *ſuperflua divitum ſunt neceſſaria pauperum, & res alienæ poſſidentur, cùm ſuperflua poſſidentur.* *Alterum* circa idem præceptum obſervatu dignum eſt: multos graves, & ſpectatæ autoritatis Theologos docere, non peccari graviter à divitibus, quamvis ſuperflua habentibus, ſi ſæpe faciant eleemoſynam ſtatui ſuo convenientem, tametſi eam (extra caſum extremæ, vel gravis neceſſitatis) ſæpe etiam omittant, eò quòd cenſeantur, quemadmodum pridem anteà obſervavit *Lactantius Firmianus* (*b*) quantum eſt ex ſe, & prout juncti aliis divitibus, ſi idem, & ipſi præſtent, ſufficienter ſubvenire communibus pauperum neceſſitatibus. *Tertium* hoc loci bene advertendum eſt: neminem quantumcunque divitem obligari, ad ſublevandam pauperum ſolà communi neceſſitate laborantium inopiam, impendere eam partem opum, aut ſumptuum, quam congruæ, & ſtatui ſuo cum dignitate conſervando proportionatæ ſuſtentationi, ſive ex laudabili parſimonia, ſive ex alio fine honeſto, ſpontaneè ſibi ſubtraxit; ſed poſſe ejuſmodi ſumptus, in quoſvis alios uſus non malos pro ſua libertate diſpenſare: cùm enim potuerit illos, non habitâ ratione pauperum, in proprium commodum convertere, cur non etiam in alios uſus, ſive ſacros, ſive profanos, dummodò tamen licitos erogare? Quibus regulis probè expenſis facilè eſt animadvertere, quàm ineptè *Autor Anonymus* ad movendum *Marianis Cultoribus*, præſertim in Theologia non admodum peritis, conſcientiæ ſcrupulum, ſinè ullo inter extremam, gravem, & communem neceſſitatem diſcrimine, præceptum eleemoſynæ eiſdem obtruſerit, & metu ignis infernalis eoſdem ab ornandis *Deiparæ* Imaginibus arcere, & ejuſdem Cultum imminuere ſtatuerit. Poteſt non diffiteor, quemadmodum ex dictis colligere eſt, locus, & tempus occurrere, in quo laudabilius ſit pauperibus ſuccurrere, quàm Templa vel Statuas Deiparæ exornare; tunc ſcilicet, quando gravis, vel etiam nonnunquam communis proximi neceſſitas, id rationabiliter fieri imperat: at verò ſentire vel dicere ſinè ullo diſcrimine, neceſſitates pauperum eſſe templorum, imaginum, & reliquarum rerum ad Cultum Divinum mediatè vel immediatè pertinentium, ornatui anteferendas; hoc non ſolùm rectæ Theologiæ, verùm etiam ipſius *Chriſti* dictis, & factis contradicit. Cùm enim mortalium omnium peſſimus mercator, & proditor *Judas* piam *Magdalenæ* in ungendo pretioſis unguentis *Chriſti* vertice (*c*) prodigalitatem reprehendiſſet, & nonnullos Diſcipulorum in ſuam ſententiam pertraxiſſet, dicendo: *Ut quid perditio hæc?* po-

(*a*) *in pſ.* 147. (*b*) *l.* 6. *c.* 12. (*c*) *Marci* 14. *Ioan.* 12. *Matth.* 26.

Digitized by Google

poterat enim unguentum iſtud vendi trecentis denariis, & dari pauperibus. hunc ipſius ſenſum improbans, & deteſtans, idem *Chriſtus* illicò repoſuit: *Quid moleſti eſtis huic Mulieri? bonum opus operata eſt in me.* quem in locum (a) *Theophilactus, Decet* inquit, *ut honorem, quem Deo debemus, præferamus ſimpliciter omnibus etiam miſericordiæ operibus. noli enim, quia propter benignitatem Chriſtus ſuſcipit in ſe miſericordiam, quaſi ſibi facta eſſet, exiſtimare, quod oporteat contemnere Deum, & eleemoſynam tantùm curare, quia ſic & ſacrilegium liceret, & ex ſacrilegiis eſſet eleemoſyna danda.* Verùm non ſic ſe habet, quia non eſt idem miſereri pauperum, & colere ac honorare ipſummet Chriſtum. Audi; *pauperes enim*, inquit, *ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper.* Vides igitur quomodò aliud ſit curam impendere Chriſto, & aliud miſereri pauperibus, tametſi Chriſtus propter benignitatem ſuſcipiat, perinde acſi in ſe collocaretur, quod pauperibus impenditur.

Quidquid porrò in favorem pauperum ex *SS. Patribus Chryſoſtomo & Bernardo*, ſive in ſuis *Monitis*, ſive in *Apologia* ab *Autore Anonymo*, affertur, aut vanum eſt, & fictitium, aut mutilum, & truncatum; neque ex ipſo fonte, ſed perverſis *Hæreticorum* libris deſumptum. Quod enim allegatur ex homil: 1. *Chryſoſtomi* in Matth: ejus nec umbra in dicta Homilia reperitur; & quamvis homil: 41. aliqua ſimilia verba habeantur, ea tamen, non niſi carptim, & truncatim recenſentur: neque *S. Doctor* eo loci agit de neceſſitate proximi communi, ſed extrema, vel gravi, prout colligere eſt ex ipſius verbis, quæ ſic habent: *Dic, oro, ſi quem fame pereuntem videres, nec cibo ſolvere neceſſitatem curares, ſed multo argento, ac auro menſam exornares, quas putas illum gratias tibi habiturum? Quid porrò ſi frigore congelatum hominem aſpiceres, nec veſtem aliquam ei præparares? Si aureas ſtatuas ad laudem ejus erigeres, nónne contemnere videreris? Ità oportet te in Chriſto etiam cogitare &c.*

Quod verò ex Apologia D. *Bernardi* ad Guilielmum Abbatem in ſuam *Apologiam* tranſtulit idem *Autor Anonymus*, ſi cum aliis, quæ ibi docet, aut improbat mellifluus Doctor, conferatur; clarè apparet ipſum eo loci tantùm voluiſſe carpere, & perſtringere vanitatem Monachorum Cluniacenſium ſui temporis, qui pompâ, & ſplendore Antiſtites, aut etiam Principes æquare volebant, & ſuperflua quædam planéque indecora, tum in clauſtrum, tum in DEI Templum inferebant, putà figuras ſimiarum, Leonum, Tigridum, militum pugnantium, venatorum tubicinantium, & alia monſtra magno pretio comparata; quod meritò à S. Doctore reprehenſum fuiſſe, nemo non videt.

(a) *c.26. in Matth.*

Efficaciùs fortaſſe & ad ſpeciem plauſibiliùs in favorem *Hæreticorum* & quorundam frigidorum Catholicorum, contra ſumptuoſiorem templorum, & ſacrarum imaginum ornatum argumentari potuiſſet *Autor Anonymus* ex *S. Ambroſio*, (*a*) *S. Hieronymo*, (*b*) *S. Chryſoſtomo*, (*c*) *Lactantio*, (*d*) & nonnullis aliis Patribus quorum loca refert, & expendit *Theophilus Raynaudus* (*e*) & firmari poſſunt exemplo nonnullorum Sanctorum, putà *Exuperii*, *Vinoci*, *Donati*, *Benedicti*, *Anianenſis*, *Galli*, *Columbani*, & aliorum, qui ſanctæ ſimplicitatis, & paupertatis amore, quidquid pretioſum eſſet, à templis, & ſacris miniſteriis arcuerunt; quos poſtea imitatus *S. Dominicus* (uti habetur (*f*) in ejus vita) præter calices aurum omne, & argentum ab altari relegavit, ſicuti & ſericas ac pretioſas quaſque veſtes, ex ſolo ſimplici panno indumenta ſacra præeligens. Verùm rectè advertit citatus *Raynaudus*, aliquos Sanctorum *Patrum*, putà *Ambroſium*, *Hieronymum*, & *Chryſoſtomum*, non damnare ſumptus ſacris rebus ornandis impenſos ſimpliciter, ſed in concurſu pauperum extremè, aut graviter indigentium. Alios verò (inter *quos* (*g*) *Iſidorus Peluſiota*) tantummodò præferre ornatum *Fidelium* Eccleſiam vivam conſtituentium, nimìs ſtudioſo, & exquiſito ornatui parietum inanimatorum: alios itèm ſolùm velle docere pluris æſtimari apud DEUM piam, & ſanctam donantis mentem, quàm pretium doni, quod offertur; & abſque pietate offerentis ſordere quodlibet munus, quantumvìs pretioſum.

Lactantius denique, cujus teſtimonio ſe plurimùm jactant *Heterodoxi*, agit ſolummodò de auro in cultum falſorum Numinum impenſo, cum ea perverſa exiſtimatione, quòd Dii lignei, & lapidei eo valdè delectarentur. Quod porrò ſenſum, & exempla nonnullorum Sanctorum ſolâ ſimplicitate ſacræ ſupellectilis contentorum concernit, ſupponendum eſt, non omnes Sanctorum Cœlitum cum Chriſto regnantium olim fuiſſe ejuſdem in quovis puncto ſenſûs, aut ſententiæ. Licèt enim aliqui illorum omnem mundi ornatum, ſalutaris exempli gratiâ ſubterfugerint; certum nihilominus eſt, eos ipſos defactò non reſpuere magnificentiam ſupellectilis ſacræ, & Oratoriorum, in quibus aſſervantur eorum exuviæ vel reliquiæ, delectaríque ornatu ſuarum imaginum, & ararum, prout quotidiana teſtantur miracula, quibus Mecœnatum & Clientum ſuorum piam liberalitatem copioſè remunerantur. Potuit proinde abſque ulla Eccleſiæ Catholicæ labe vel nota inter eos vigere diverſitas, non uſurpatæ à quibuſdam, ab aliis autem receptæ munificentiæ, in pretioſo ſacræ ſupellectilis, templorum & imaginum, apparatu. Sed ſatìs hæc contra *Autorem*

(a) c. aurum 12. q. 2. (b) in c. 7. Ierem. & ep. 8. & 12. (c) homil. 53. in Matth. (d) l. 2. c. 4. (e) p. 1. Heteroclyt. ſ. 2. punct. 3. (f) l. 3. c. 12. (g) l. 2. epiſt 246.

Digitized by Google

rem Anonymum, & omnes tum *Hæreticos*, tum frigidos Catholicos, ſacri ornatûs, & Eccleſiaſticæ opulentiæ oſores. Libet nunc ad aliam contra Religioſum *Deiparæ* Cultum ab Autore Anonymo admotam machinam evertendam, calamum transferre.

ANIMADVERSIO XXXI.

Autor Anonymus contra ſenſum totius Orbis Chriſtiani conatur malignè Beatiſſimæ Virgini abrogare titulum: *Dominæ*, & prohibere Fideles, nè ſe profiteantur *Servos* illius.

ANimadvertendum *Trigeſimoprimò*. *Autorem Anonymum*, etsi, in ſua *Apologia* Beatiſſimam Virginem ſubinde *Dominam* compellet, in Monitis tamen ſuis clarè & diſertè oſtendere, ſe longè aliter in animo ſentire, & hoc unicè ſatagere, ac optare, ne quiſquam *Fidelium* Herilem ejus poteſtatem ſupra ſe agnoſcat, ejúſque Servum quâcunque demum ratione, ſe ſe palàm profiteatur. Quod ut aſſequatur diſſimulatâ appellatione *Servi Mariani* (quam apertè impetere non audet) ad oppugnandam denominationem *Mariani Mancipii* convertitur, eámque tanquam DEO & Chriſto injurioſam, ſacris literis & rationi contrariam, & aulicam potiùs aſſentationem, quàm ſolidam, & ſinceram pietatem redolentem, perſequitur. Ità Clientem Marianum per turpiter confictam Matrem pulchræ dilectionis in *Monito* XV. alloquendo: *Pulchra Dilectio filiorum eſt, non Mancipiorum. Non ergò te dixeris meum mancipium: ſoli Creatori DEO, & Redemptori Chriſto homines mancipantur. An neſcitis quia poteſtas Dominica jus vitæ, & necis habet in mancipia, omnem illis tollens libertatem, & proprietatem? hoc ſoli DEO competit. Pretio empti eſtis ſanguinis Filii DEI, nolite fieri ſervi hominum; liberi eſtis, quâ libertate Chriſtus vos liberavit. Si ergò reverà non eſtis mea mancipia, quorſum ſervilibus titulis, & ſignis, hoc oſtentatis? inanibus, & aulicis ſubmiſſionibus mundus gaudet, non ego.* Confirmant verò hoc *Autoris Anonymi Monitum* nonnulli ejus Patroni duplici decreto S. Officii, uno 5. Julii, & altero 6. Octobris Anno 1673. Romæ editis, in quibus ſub graviſſimis pœnis, ac Cenſuris vetantur, & abolentur omnes Cœtus, & Sodalitates tam Virorum, quàm mulierum, ſub titulo Marianorum Mancipiorum inſtituti, ſimúlq; prohibetur geſtatio catenularum, imaginum, medaliorum, & quorumcunque ſignorum, hanc mancipationem exteriùs denotantium, unà cum libris & foliis impreſſis, ejuſmodi Sodalitates laudantibus,

Digitized by Google

bus, approbantibus, & recommendantibus. Ex quo inferunt, meritò fuiſſe anomalam hanc pietatem ab Autore Anonymo reprehenſam & improbatam.

Verùm quidquid ſit de his Decretis, quæ nonnullis ſunt ſuſpecta, & paulò pòſt à me expendentur; illud velim ante omnia tanquam certiſſimum notari, & obſervari; *Autorem Anonymum* iiſdem argumentis, & autoritatibus, quibus Mancipatum Marianum, & Herile ejuſdem SS. Virginis in omnes homines, præſertim verò Chriſtianos, & Mariæ Cultores imperium impugnat, impugnare ſimul titulum, & appellationem *Dominæ*, quem *Deiparæ* totus Chriſtianus Orbis attribuit; non quidem directè, ſed indirectè, arcendo à Fidelibus correlativam appellationum Servi, & prohibendo illis omnem Servitutis, & Subjectionis Marianæ profeſſionem. ità enim libet contra illam argumentari. Si idcircò, quia *pulchra dilectio filiorum eſt, non mancipiorum.* & 1. ad Corinth: ſcriptum eſt: *Pretio empti eſtis ſanguinis Filii DEI, nolite fieri Servi hominum.* & ad Galat. 4. *Liberi eſtis: quâ libertate Chriſtus vos liberavit*; ſi, inquam, ex his fundamentis ſequitur, non licere Fidelibus appellare ſe Mariæ Mancipium; utique nec licebit ſe appellare ejuſdem Servum: quia *pulchra dilectio ſicuti non eſt mancipiorum, ità nec Servorum*; quia hi ex *Ariſtotelis*, & communi Ethnicorum Sententia, ſupponuntur Dominos ſuos non amare amore *amicitiæ* (in quo conſiſtit *pulchra dilectio*) ſed *concupiſcentiæ* ob ſpem ſcilicet mercedis, aut metum pœnarum. Loca itèm Scripturæ, ſi accipienda ſunt eo ſenſu, quo ipſa perperàm uſurpat *Autor Anonymus*, æquè militant contra quamcunque ſpeciem Servitutis, ſive ea appelletur *Mancipatus*, ſive quævis alia ſubjectio hominis ad hominem, cum jure & dominio in illum. Quòd autem ſupponat *Autor Anonymus*, Mancipatum & Servitutem ſtrictè ſumptam eſſentialiter annectere ſibi jus vitæ & necis; neſcio quo fundamento id auſit adeò categoricè aſſerere: ſi enim primigeniam dominationem, ſeu nomenclaturam hujus vocis *Mancipium*, ſpectemus; ea idem ſignificat, quòd *Servus manu-captus*; eò quòd primitus unicus titulus redigendi homines in Servitutem, ſolo jure Gentium, ad refrœnandam hominum bella injuſtè moventium libidinem, introductus, non acquirebatur niſi per apprehenſionem, ſeu captivationem hoſtis in bello juſto; quæ captivatio, etſi tunc ſimul includeret libertatem ſic captum, & in Servitutem redactum pro libitu ſervandi, vel occidendi; ea tam libertas poſtmodum *per Antoninum Imperatorem* (uti conſtat ex variis legibus tum Digeſtorum, tum Codicis Antonino poſterioribus) quoad jus necis & vitæ reſtricta eſt, & præter capturam in bello juſto, alii inſuper tituli acquirendi dominium in homines, eóſque in ſervitutem redigendi, aſſignati; putà per nativitatem, juſtam

ſtam condemnationem, & contractum. Ex quo patet, fruſtrà prohiberi *Fideles* propterea, quòd ſoli DEO jus vitæ & necis primariò cõpetat, ne profiteantur ſe Mancipia, & Servos Deiparæ; cùm ejuſmodi jus ex ſolo Gentium beneplacito, nequaquam autem ex natura rei, mancipatui fuerit annexum: & valdè incertum ſit, utrùm ſimile jus B. Virgini non ſit defactò, cum aliis juribus & prærogativis, à DEO liberaliter communicatū. Ego ſanè nollem vel in me, vel in *Autore Anonymo*, Beatiſſimam Virginem facere hujus juris demonſtrationem. Quod porrò Decreta S. Officii à patronis *Autorū Anonymi* contra Mancipatum, & per conſequens etiam contra Servitutem Marianam Gallico Idiomate adducta attinet; curavi ego, quia Gallicæ linguæ imperitus ſum, illa mihi per fidum & peritum interpretem in Latinum transferri, & expenſo diligentereorum tenore, deprehendi in ipſis non vetari, reprehendi, aut improbari abſolutè & ſimpliciter veterem multorum Fidelium pietatem mancipandi ſe Deiparæ, eique (quod defactò initio ſui in Sodalitatem Marianam ingreſsûs, faciunt plerique Sodales) in Servum perpetuum devovendi: ſed prohiberi ſolummodò, propter quoſdam abuſus per indiſcretum hujuſcemodi pietatis uſum in Eccleſiam, cum nonnullorum ſcandalo, irrepentes, hæc ſequentia, *Primò*, omnes Societates & Confraternitates, quarum inſtitutum conſiſtit primariò in profitenda exteriùs ſclavitate Deiparæ *Secundò*, Societates & Congregationes utentes conſuetudinibus, vel cæremoniis, vel aliis quibuſcunque habentibus relationem ad talem ſclavitatem. *Tertiò*, uſum & praxim parvarum catenarum, imaginum, medaliorum & ſimilium ſignorum ad profitendam exteriùs ejuſmodi ſclavitatem ordinatorum. *Quartò*, libros, qui Sodalitates ſub hoc titulo inſtitutas laudant, approbant, & propagant. Ubi vides Lector Benevole, Mancipatum & Servitutem Marianam non reprobari ſumptam ſecundùm ſe, & quoad prædicata ſua intrinſeca, ſed tantùm quoad modum profitendi hæc exteriùs per notas, & ſigna aliqualem abuſum hujuſce devotionis indicantia. Malè proinde ex hiſce Decretis, & *S. Officii* inhibitionibus inferunt patroni *Autoris Anonymi*, malum eſſe, & ex natura rei vetitum, profiteri ſe *Mancipium*, aut *Servum Deiparæ*; poſſunt enim & ſolent ob juſtas cauſas ab *Eccleſia* quandoque prohiberi aliqua exercitia pietatis, quantumvis de ſe bona & laudabilia, ſi animadvertat, ex eorū occaſione puſillos nonnullos ſcãdalizari, aut etiã in noxiam ſuperſtitionem deflectere; ad eum ferè modum, quo periti medici vinum quantumvis de ſe optimum, & generoſiſſimum prohibent iis, quibus ſanguinem accendere, aut noxios ſpiritus in caput & cerebrum poſſet evocare. Sed & defactò meminimus à Sede Apoſtolica, ob gravia nonnullorum

ſcandala fuiſſe abolitas, & extinctas haud paucas Religioſorum familias, quarum Inſtitutum fuiſſe ex prima ſui origine optimum & ſanctiſſimum, patet ex plurimis Pontificum Bullis, tales Religioſorum familias, non ſolùm collaudantibus, & approbantibus, verùm etiam ampliſſimis gratiis & privilegiis condecorantibus. A fortiori igitur potuit *S. Officium*, Sedis Apoſtolicæ autoritate ſubnixum, propter graves abuſus in profitendo *Mancipatu Mariano* intercurrentes, Sodalitates Marianorum Mancipiorum, earúmque inſtitutum abolere, & interdicere, præſertim cùm fortè maximum hujus abolitionis fundamentum fuerit iſtius Mancipatûs (externis ſignis promiſcuè in abuſum verſi à ſexu Fœmineo) quòd ab initio non fuerit, Re integrâ, ut dignum & juſtum erat, petita à S. Sede Apoſtolica licentia, approbatióque, ſed provectâ jam, & divulgatâ hac ſocietate, tum primùm ex modis impropriis quæſita Confirmatio. Cæteroquin ſalvis ſalvandis, quis audeat negare, potuiſſe etiam *S. Officium* (niſi abuſus ejuſmodi intercurriſſent) Mancipatum Marianum approbare, & pro legitimo pietatis exercitio, congruo ſenſu & ſano agnoſcere. *Ratio* videtur eſſe *primò* quòd apud Corneliũ à Lapide in Caput 6. Eccleſiaſtici ad illa verba: *Erunt tibi compedes ejus* (id eſt Sapientiæ) *in protectionem fortitudinis, & baſes Virtutis, & torques illius in ſtolam gloriæ*: Legerim, ante annos 625. hoc eſt Anno Domini Milleſimo Quinquageſimo, in uſu fuiſſe exercitium pietatis, quo ſe ſe Fideles Deiparæ ſervitio addicebant & mancipabant. Ità namque de *Marino* fratre ſuo, qui id temporis vixit, ſcribit Beatus Petrus Damiani (a) ad *Deſiderium* Abbatem Gaſſiuenſem. *Altari*, inquit, *ſe B. Dei Genitricis velut ſervile mancipium tradidit, & pro ſervilibus numellis collo corrigiam, quâ cingebatur, innexuit, & humeros denudans, mox ſe quaſi Servum malum coram Domina ſua verberibus affecit; atque in vera Servitutis teſſeram ſervile tributum pendens, quandam pecuniæ ſummam in altaris crepidine poſuit, dixítque, per iſtud ergò munuſculum Servitutis, me ô Domina tibi nunc offero, & amodo, quoad vixero, certi canonis appendam tributum annuale.* Quo demum obſequio, id aſſecutus eſt Vir optimus, ut ſuaviſſimam in morte Dominam videre meruerit, quam & his verbis allocutus eſt, ſacri gaudii, & confidentiæ pleniſſimus: *Et quid eſt, ô Domina mea, Regina Cœli & terræ, quia viſitare dignata es pauperculum Servum tuum? Benedic me Domina mea: nec patiaris me in tenebris ire, cui lucem tantæ præſentiæ dediſti.* Referunt itèm Hiſtorici fide digniſſimi, *Modum dedicandi ſe B. Virgini in Mancipium*, fuiſſe ſub Pontificatu *Gregorii XV.* à Venerabili DEI Servo *Simone de Rojas*, ex Ordine Trinitatis reſtauratum, & *à Bartholomæo de Los Rios* &

(a) *l. 2. epiſt. 14.*

Digitized by Google

& Alarcon in aula *Philippi IV. Regis Hiſpaniarum* propagatum, atque etiam ab Urbano VIII. per Bullam editam 1631. confirmatum. Quis autem credat Sacrum Tribunal *Inquiſitionis Hiſpanicæ*, & duos ſummos Pontifices, ità fuiſſe in rebus ad Fidem, & mores pertinentibus malè oculatos, aut incurios, ut voluerint exercitium devotionis, ſacris literis, & rectæ rationi contrarium, tolerare, vel approbare. Multùm etiam huc facit Ordo Religioſorum ſub titulo: *Servorum DEIPARÆ* inſtitutus, & à Benedicto XI. in Bulla, quæ incipit: *Dum levamus*, collaudatus, & approbatus; in qua Bulla ità loquitur Pontifex: *Sanè vos qui Ordinem Sancti Auguſtini per Sedem Apoſtolicam profitemini, & ſervatis, & devotionis affectu, quem geritis erga B. Virginem Mariam, aſſumitis vobis vocabulum ab eadem vos SERVOS ejusdem Virginis humiliter nominando &c.* Et infrà: *Nos autem qui ad Virginem ipſam Dominam noſtram libenter devotionem, quam poſſumus, exhibemus &c.* Dedêre autem huic Sacro Ordini initium 1233. Flôrentiæ ſeptem viri, qui coram imagine *Deiparæ* orantes, Angelicâ voce moniti ſunt ad condendum novum Ordinem ejuſdem *Deiparæ* peculiariter addicendum, & titulo *Servorum Beatæ Mariæ* nuncupandum. Qua de re ſcribens *Thadæus Adamarius Florentinus, Ubi*, inquit, *ſeptem illi Viri Charitatis fœdere ſe ſe univerunt, mirabile eſt, atque ineffabile dictu, ſtatim ab univerſis uno conſonóque ore SERVI Beatæ Mariæ denominati ſunt. Quod nomen non humanitus, ſed divinitus ab ipſa Virgine DEI Matre MARIA Infantium* linguis proveniſſe putamus. His tamen nihil obſtantibus parendum eſt autoritati Sacri Officii, & iis, quæ ab ea vetita ſunt, conſtanter abſtinendum, utì Laici à Communione ſub utraque ſpecie nunc abſtinere juſtè debent, cùm tempore Manichæorum idipſum abſtinere ab utraque ſpecie vetitum fuerit, cùm quasì in profeſſionem Orthodoxæ Fidei, tunc ſumendæ etiam ſpecies vini à Laicis fuerint, ne conſentire viderentur errori Manichæorum credentium & errantium, vinum eſſe Creaturam Diaboli; nunc autem ex adverſo ſub una ſpecie duntaxat communicant Laici, ne favere videantur Utraquiſtis hæreticis, requirentibus de neceſſitate ſumptionem utriuſque ſpeciei (etsì ipſi tranſubſtantiationem, ùt plurimùm negent) Panis & Vini etiam in Laicis. Adeò cauta & provida Mater S. Eccleſia tempori, & loco adhibet de mediis, quęis ejus Fideles filii à noxa præſerventur.

Verùm ſentiat, quidquid libuerit de Mancipatu, & Servitute Deiparam reſpiciente *Autor Anonymus*, certè ipſi titulum *Dominæ* nequaquam eripiet, utpote totius Orbis Chriſtiani confeſſione ubivis terrarum ei aſſertum, & attributum. Quanquam enim veteres Chriſtiani (quemadmodum obſervavit *Cæſar Baronius* ad Annum Chriſti quadringenteſimum decimum ſextum) titu-

Digitized by Google

lum & appellationem *Domini*, tanquam unius *DEI* proprium, nemini hominum, atque ne Sanctis quidem, & Beatis in Cœlo degentibus attribuere voluerint, ſed ſi ſuam erga quempiam hominum ſubjectionem profiteri vellent, eum non Dominum, *ſed Domnum, vel Domnam*, per quandam contractionem appellaverint; ab hac tamen regula SS. DEI Genitricem propter ſummam illius poſt DEUM ſupra omnes alias creaturas excellentiam, & aliqualem perfectiſſimi Dominii cum Filio ſuo participationem excepiſſe, & titulum *Dominæ* ſinè ulla contractione ſimpliciter attribuiſſe, *patet* 1. ex Liturgiis D. *Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi*, & aliorum, in quibus gratiſſima Deiparæ memoria, ſub titulo *Dominæ*, recolitur, & celebratur. *Patet* 2. ex unanimi conſenſu omnium Gentium, ac Nationum, ad quas Religionis Chriſtianæ nomen, ab ipſo ſui exordio, emanavit. *Arabes* namque quantumvìs Barbari, & infideles (ùt Autor eſt (*a*) Adrianus Lyræus) uſque in hodiernam diem *Matrem JESU* non aliter, quàm *Dominam* per quandam Antonomaſiam compellant. Idem ex inſtitutione *S. Stephani* Regis ſui, atque Apoſtoli, faciunt Hungari, teſte Bonfinio (*b*) *Mariam* non aliter, quàm *Magnam Dominam* compellantes, & diem feſtum ejuſdem in Cœlum aſſumptæ *Diem magnæ Dominæ* intitulantes. Subſcribunt etiam omnes reliqui populi Chriſtiani: nam *Hiſpani* B. Virginem: *Nueſtra Signiora*, Itali: *Noſtra Signora*; Galli: *Noſtre Dame*, Belgæ & Germani Unſere Liebe Fraw, SS. DEI Genitricem tanquam univerſali vocabulo ſibi perperquam familiari vocitant, & compellant. Quid quòd & ipſi Cœlites hoc præcipuè titulo Reginam ſuam Mariam videantur honorare. Cùm enim D. *Ildefonſus* Toletanorum Archiepiſcopus Deiparæ eximius Cultor & Amator in Baſilica *S. Leocadiæ* V. & M. ad ſepulchrum S. ejuſdem fixis humi genibus preces funderet, lapis quo tumulus tegebatur, & quem vix 30. valentiſſimi homines loco movere potuiſſent, ſuâ ſponte repentè ſublatus & *Leocadia* de tumulo progrediens, & porrectâ Ildefonſo comiter dexterâ, his eum verbis affata eſt: *Ildefonſe per te vivit gloria Dominæ noſtræ.* (*c*) Mariam intelligens, cujus obſequiis ſe, dum viveret, totam quantam dedicârat. *Ildefonſus* verò ejuſdem Virginitatem, edito contra Hæreticos inſigni volumine, ſtrenuè propugnârat. Et quid tandem eſt, cur dubitemus B. V. Mariam appellare *Dominam*, quam (ut loquitur (*d*) D. Petrus *Chryſologus*:) *Naſci, & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit, & impetravit autoritas*; nam *Maria* Hebræo ſermone juxta Sanctum *Damaſcenum*: (*e*) Latinè *Dominam* ſonat. Et Divus *Remigius* Galliarum Apoſtolùs: *Hoc nomen*, inquit, *non novit, qui Mariæ non exhibet famulatum.* Ne-

(*a*) *l. 1. Triſag.* (*b*) *l. 3. de reb. Vngar.* (*c*) *Iulianus Arch. Tolet. in Hiſtor.* (*d*) *ſerm. 142.* (*e*) *l. 4. Fide c. 15.*

Digitized by Google

Neceſſe igitur eſt, ut vim hujus Nominis non agnoverit *Autor Anonymus*, qui ſervitium & famulatum Deiparæ exhibere, nos prohibet. Ego verò licèt indoctus palàm profiteor, & Animadverſionem hanc concludo verbis *D. Ildefonſi apud Pelbartum*: (*a*) *ut ſiam Servus devotus Filii generati*, id eſt Chriſti, *fideliter appeto fieri ſervus Suæ Genitricis; & ut comprober ſervire Domino, in Teſtimonium quæro ſuper me Dominium Matris ejus. Sic enim redundat in filium, quod impenditur Matri; ſic & tranſit honor in Regem, qui defertur in famulatum Reginæ.*

ANIMADVERSIO XXXII.

Autor Anonymus videtur eſſe Neo-vetus ſacrarum Imaginum perſecutor.

ANimadvertendum *Trigeſimoſecundò. Autorem Anonymum* inter reliqua ſua *Monita*, quibus Cultum *DEIPARÆ*, inter *Fideles* in dies magis, ac magìs ſuccreſcentem, convellere, & pro veteribus *Lutheri & Calvini*, circa Cultum Sacrarum Imaginum, erroribus, novalia inſtaurare anniſus fuit, calami ſui vomerem exacuiſſe contra Thaumaturgas Deiparæ Icones, & Statuas; & quidquid in earum contemptum, ac Catholicæ Eccleſiæ, ſacrarum Imaginum venerationem propugnantis, dedecus ſcripſerunt, tum modò memorati, tum alii Hæretici, id totum ſtudioſiſſimè collegiſſe, & non uno in loco, præcipuè autem *Monito* XVII. ad conflandam *Marianis Cultoribus* invidiam, hiſce verbis ſub ſchemate imaginariæ *Deiparæ* propoſuiſſe: *Non eſt pulchra dilectio creaturæ irrationalis: Nolite ſicut gentes ponere fiduciam in Statuis, vel Imaginibus meis, quamvis miraculoſæ ſint; nulla enim illis ineſt Virtus. Lapides & ligna, imagines, & ſigna ſunt; ſimiles illis fiant omnes, qui confidunt in eis.* Potuiſſetne, per DEUM immortalem! ab ullo *Hæreticorum* aliquid contemptibilius, aut ignominioſius dici, contra ſacerrimas, & Thaumaturgas Deiparæ & Sanctorum Imagines; quàm in hocce Moniti ſui quaſi proœmio dixerit, & ſcripſerit *Autor Anonymus*? Nunquidnon numerare eas ſinè ullo diſcrimine, aut limitatione, in cenſu lignorum, & lapidum, eſt virtualiter dicere, ipſas neque pluris eſſe æſtimandas, neque majori veneratione dignas, quàm ſint obvia ſaxa, & trunci, aut boves, & aſini, & quævis alia rationis expers Creatura? Quid magìs impium, & ad ſpeciem hæreticum, quàm famoſiſſimas *Deiparæ* Statuas, quales ſunt *Lauretana, Monſerratenſis, Oetingana, Cellenſis, Hallenſis,*

(a) *l. 12. ſtellar.*

Digitized by Google

Aſpricollenſis, & ſimiles (quas in hoc Monito tacito nomine videtur voluiſſe perſtringere *Autor Anonymus*) innumeris prodigiis cœlitus exornatas, & totius orbis Chriſtiani confeſſione, maximo cultu, & veneratione digniſſimas, æquiparare ſimulacris & idolis gentium, per quæ dæmones miſeris gentilibus illudebant, & iiſdem fictis ſignis, ac præſtigiis imponebant? Non eſt profectò, non eſt, *Autor Anonyme*, iſte Spiritus *Sanctorum Patrum*, & Conciliorum, atque inprimis Nicæni ſecundi, (*a*) & Tridentini, (*b*) quæ Statuarum & Imaginum Deiparæ & Sanctorum, ubique locorum, non niſi reverenter, & magnificè meminerunt, eaſdem *ſacras, ſanctas*, & *venerandas* appellando; ſed eſt ſpiritus *Lutheri, Calvini, Bezæ, Kemnicii*, & ſimilium hæreticæ pravitatis autorum, & incentorum, ex quorum ſcriptis tanquam quibuſdam fœtentibus cloacis ejuſmodi ſcommata in tuum calamum derivâſti. Quos idcircò hoc loco refutare ſuperfluum exiſtimo, quia illud pridem ante me egregiè præſtiterunt Sapientiſſimi, ac diſertiſſimi Viri *Bellarminus*, & *Palæottus*, *S. R. E. Cardinales*; itèm, *Molanus*, *Sanderus*, *Gretſerus*, *Caniſius* & alii, non uno argumento oſtendentes, falsè & calumniosè ab hoſtibus Eccleſiæ imputari Catholicis (quod *Autor Anonymus* in ſuis *Monitis* affingit Cultoribus Marianis) eos Imagines ligneas, & lapideas colere inſtar Deorum, vel Dearum, nec ſecùs illas alloqui, quàm ſi vitâ intellectuali pollerent, eorúmque vota, & poſtulationes auribus perciperent, & intelligerent. Peſſimum verò, & intolerandum eſt, quòd tam has Hæreticorum contra Catholicos, quàm ſuas contra Cultores Marianos calumnias idem *Autor* firmare nititur autoritate Concilii *Tridentini* (*c*) ad marginem Moniti XVII. appoſiti, quaſì illud ſimilibus erroribus Eccleſiam Catholicam obnoxiam agnoverit, & idcircò veram doctrinam, circa Cultum, & Venerationem SS. Imaginum eidem expoſuerit; cùm contrarium prorſus eo loci egerit, & ad vindicandos ab Hæreticorum calumniis Catholicos, quis eorum in adorandis, ac venerandis *Deiparæ, & Sanctorum Imaginibus*, juxta *Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, à primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorúmque Patrum conſenſionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, circa legitimum Imaginum Cultum ſenſus ſit, declaraverit.* Videlicet: *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præſertim habendas, & retinendas eſſe, eíſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur ineſſe in iis aliqua Divinitas, vel Virtus, propter quam ſint colendæ; vel quòd ab eis aliquid ſit petendum; vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa,* quæ

(a) *Act*. 2. (b) *ſeſſ*. 25. *de Invoc. SS*. (c) *ſeſſ*. 25. *de Invocat. SS*.

Digitized by Google

quæ illa repræſentant: ità ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur; Id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi Decretis (NB.) contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Ità de verbo ad verbum S. Concilium Tridentinum. Huic porrò Doctrinæ ad unguem inhærent, univerſaliter loquendo omnes Orthodoxi Mariæ Cultores, nec inter mille reperire eſt vel unicum Fidei Catholicæ myſteriis adeò leviter imbutum, ut contrarium ſentiat, & Statuis, aut Imaginibus *Deiparæ*, vel *Sanctorum* Divinitatem aliquam ineſſe, credat. Vaniſſimum proinde commentum, & figmentum cenſeri debet, quod in ſua *Apologia* pag. 6. dicit *Autor Anonymus* : *Multa millia Chriſtianorum ſcandalizari, quibus hodiè immoderatus ille Cultus Sanctorum, & Imaginum offendiculo eſt.* Figmentum inquam; ſiquidem eo loci pro multis millibus unicum ſolum exhibet, qui Deiparam, aut immoderatè coluerit, aut minùs rectè de ejuſmodi imaginibus ſenſerit.

Et quamvis ultrò concederemus *Autori Anonymo*, reperiri nonnullos de rudi populo (nihil enim eſt, teſte *Nazianzeno* (a) & *Auguſtino, adeò bonum, quod vitio utentium abuſui non pateat*) qui ſive defectu ingenii, ſive carentiâ ſufficientis inſtructionis, in Cultu Imaginum *Deiparæ*, & *Sanctorum* aliquid reprehenſione dignum admiſerint, non fuiſſent tamen eæ idcircò, adeò ignominiosè, & deſpicabiliter ab *Autore Anonymo* tractandæ, & truncis, ac ſaxis, multóque minùs ſimulacris & idolis gentium comparandæ : ſed potiùs docendi fuiſſent, cum aliqua diſtinctione, rudes illi Errones, rectum uſum illarum, & inſtruendi, quòd tametsì Divorum Statuæ, & Imagines ex lignis, & lapidibus formatæ ſint, & omni ſenſu appetitivo, ac rationali careant, ſint nihilominùs aliquid pluſquàm ligna, lapides; repræſentationes ſcilicet hominum à Sanctitate, Virtutibus ac miraculis illuſtrium, multis ſignis ac prodigiis non raro cœlitus condecorari ſolitæ; ideóque juxta mentem *Sanctorum Patrum*, & Conciliorum, tanquam aliquid ſacrum habendæ, & venerandæ : nullo autem ſano ſenſu poſſe comparari cum idolis gentium, falſos Deos ſignificantibus, nam horum Statuæ non tam ùt ſigna alicujus Divinitatis proponebantur, quàm pro ipſis Diis immortalibus adorabantur, credebantúrque, poſtquam magicis artibus conſecratæ erant, poſſidere animam rationalem, vi cujus ab ipſis oracula peti, & recipi poſſent; qui ſenſus, & errores ſunt non ſolùm à ſenſu, & opinione Cultorum Marianorum, verùm etiam omnium Catholicorum Deiparæ, & Sanctorum Imagines venerantium, longè alieniſſimi.

Non

(a) *Orat. 20. b. l.*

Digitized by Google

Non ſum equidem neſcius, fuiſſe olim nonnullos Catholicorum, atque in his *Serenum* Epiſcopum *Maſſilienſem*, qui exiſtimaverint Imagines Chriſti, & Sanctorum, nequaquam eſſe in templis palàm proponendas; cauſati ſimplices *Fideles* in earum veneratione per exceſſum poſſe graviter delinquere, & Cultum ac honorem ſoli DEO debitum, ad creaturas ſensûs expertes transferre; ſed hunc zelum tanquam indiſcretum, & continentem doctrinam veræ pietati, ac Religioni cumprimis noxiam, datis compluribus ad diverſos Galliæ Epiſcopos Epiſtolis, reprehendit, & improbavit, *Gregorius Magnus* lib. 7 Regiſt: epiſt: 109 & lib. 9 epiſt. 9. Nec ſanè immeritò; exinde enim non ità multò pòſt orta teterrima Hæreſis *Iconomachorum*, qui Dei honorem, & præcavendæ Idololatriæ ſpeciem obtendentes, in exſtirpationem ſacrarum Imaginum, quasi eæ implêſſent locum idolorum, ferociſſimo ſtudio, & conatu prorſus barbaro incubuerunt. E quorum numero *Leo Iſaurus* (*a*) Orientis Imperator, & poſt ipſum *Conſtantinus Copronymus* ejus filius, tantâ rabie, in Cultores ſacrarum imaginum deſævierunt, ut ſcribat *Sigebertus* (*b*) ſub nullius Ethnici Tyranni perſecutione plures Martyres fuiſſe, quàm ſub *Copronymo*. Quæ pluribus illuſtrantes *Theophanes Ceramæus* (*c*) qui hujus hæreſeos initia, & progreſſus eruditâ oratione proſecutus fuit, & nonnulli alii referunt peſtilentiſſimam, & totum Orientem longè, latéque depopulantem Iconomachiæ contagionem, uſque ad tempora *Irenæ Imperatricis, & Theodoræ Auguſtæ* duraviſſe, quarum autoritate & *Patriarchæ Conſtantinopolitani* decreto, tandem effectum eſt, ut ſuus ſacris Imaginibus honor, & diu exoptata pax, ac tranquillitas Eccleſiæ Catholicæ reſtitueretur. Quâ feliciter ſubſecutâ, in gratiarum actionem obtenti cœlitùs ope SS. DEI Genitricis tanti beneficii, Dominicâ primâ Quadrageſimæ deducta fuit Conſtantinopoli ab æde *Deiparæ in Blanchernis* ad ædem Sanctæ *Sophiæ* ſolennis ſupplicatio, in qua ii, qui Iconomachiæ rei deprehenſi eſſent, coacti ſunt faces ardentes, quibus teſtarentur ſe incendii, & flammarum hæreticis debitarum reos exiſtere, manibus præferre, & identidem clarâ voce feralem illam vocem, *anathema, anathema* ingeminare. Quanquam non diu tam ſtudioſè quæſitâ, & tandem vix repertâ pace, Eccleſiæ frui licuit; reperti enim paulò pòſt complures, nec indocti, nec irreligioſi Viri (quibus aliqua ex parte adhæſiſſe dicitur *S. Germanus* Græciæ Epiſcopus) qui tametſi ſacrarum Imaginum in tabula penicillo aliquo, aut aliter expictarum Cultui & venerationi firmiter adhærerent, à Statuis tamen Deiparæ aut Sanctorum ex ſolida aliqua materia (putà, auro, argento, ære, lapide, ligno, aut quovis metallo formatis) ſi

(*a*) *Greg. II. Epiſt. 2.* (*b*) *ad Annum Dom. 770.* (*c*) *Homil. 20.*

Digitized by Google

ſi quando extra privatas ædes publicæ venerationi in templis exponerentur, propter periculum ſcandali puſillorum non ſatis intelligentium illud Deuteronomii: (a) *Non facies tibi ſculptile, ut adores illud*, vehementer abhorrerent; Sed & huic erroneæ, ac fallaci ſinceræ pietatis anomaliæ ſatìs ſupérque occurrit Synodus celebrata anno Incarnationis Dominicæ 777. quæ unanimi omnium Patrum ſuffragio publicum uſum Statuarum, Divos Cœlites repræſentantium, tanquam legitimum approbavit, & eundem toti Eccleſiæ non minùs quàm uſum quarumcunque aliarum ſacrarum Imaginum, magnoperè commendavit. Favet verò cumprimis hujus Sanctæ Synodi decreto antiquiſſima, & veterum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorum calamo compluribus locis celebrata Fidelium praxis, apud quos ejuſmodi Statuas in uſu, & veneratione fuiſſe, non uno demonſtratur exemplo. Nam & mulierem à fluxu ſanguinis à *Chriſto* liberatam (b) fuſilem ex ære Statuam eidem *Chriſto* erexiſſe, referunt *Euſebius* (c) & *Nicephorus* (d) & Statuam Cedrinam *JESU* cruci affixi *à Nicodemo* poſitam narrat, & accuratè deſcribit *Angelus Rocca*, (e) & multarum Statuarum *à Conſtantino* Magno in templo Romæ à ſe extructo collocatarum meminit idem, qui ſuprà *Euſebius*, (f) & ſtatuam Chriſti auream *à Valentiniano* Auguſto rogatu *Damaſi* Papæ fabrefactam, memorat *Adrianus*, (g) & plurium aliarum anaglypharum, ac extantium Imaginum ſeu Statuarum cœleſtibus etiam prodigiis illuſtrium, mentionem faciunt ferè omnes, tum veteres, tum recentiores ſacrarum Imaginum Patroni, ac Defenſores. Vanum porrò & inefficax reputari debet, quod ex periculo rude, & imperitum vulgus, per ejuſmodi Statuarum expoſitionem in errorem inducendi obiiciunt Adverſarii; vix enim quiſquam eſt Fidei Catholicæ myſteriis adeò leviter imbutus, ut neſciat *per ſculptilia Hebræis* olim ſeverè interdicta non intelligi promiſcuè quaſvis ſive ſacrarum, ſive profanarum perſonarum Statuas (ſcimus enim ex ſacris literis *Cherubinos*, alas ſuas ſuper Arcam protendentes, exſculptos fuiſſe in *Tabernaculo Fœderis*) ſed *idola* quæ (h) *Tertullianus* (conſormiter ad illud *Pauli*: (i) *ſcimus quia idolum nihil eſt*) definivit: quòd ſint vanæ rerum confictarum ſimilitudines; Statuæ autem quæ in Orthodoxorum templis venerationi publicæ exponuntur, non ſunt formæ, & repræſentationes perſonarum Fabuloſarum, & Poëticis nugis temerè confictarum, ſed re ipsâ exiſtentium, & propter eximiam ſuam Sanctitatem, ac Virtutes, ſingulari cultu, & veneratione tum in ſe, tum in ſui prototypo, digniſſimarum. Verùm abſit (ità pro *Autore Anonymo*

Y per-

(a) 5. c. (b) *Matt.* 9. (c) *l.* 7. *c.* 14. (d) *l.* 5 *c. ult.* (e) *Tract. de Cruc. Sac. Pont. c.* 4. (f) *in Vita Conſtant. l.* 3. *c.* 30. (g) *l. in reſponſ. de ſac. Imag.* (h) *l. de Idololat. c.* 3. (i) 1. *ad Corint.* 8.

perorantes audire videor Monitorum ipſius, quæ in præſenti diſcutienda ſuſcepi, patronos) abſit inquam de tali Viro, qualis, & quantus ipſe eſt, ſuſpicari eum velle partibus Iconomachorum ſive directè, ſive indirectè accedere, & quod ab iis contra ſacras Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum Statuas, & Imagines impiè geſtum eſt, aliquâ ratione approbare; ſola illi cura fuit errores rudis vulgi corrigere, & varias in Cultu Sacrarum Imaginum heteroclipſes, & anomalias ſagaci providentiâ præcavere. Sed fuerit, ſi iis placet, iſte *Autoris Anonymi* ſenſus, & intentio; ſtylus certè, & modus proponendi, quo in ſuo Monito utitur, non eſt Orthodoxi Doctoris, rudem plebeculam ad rectum & in Eccleſia Catholica uſitatum ſacrarum Imaginum Cultum erudientis, & ad eundem ſectandum provocantis, ſed alicujus Heterodoxi Rabulæ ſimilem Cultum multis calumniis proſcindentis, eúmque tanquam idolatriæ obnoxium univerſim abominantis ac deteſtantis. Oportebat proinde *Autorem Anonymum*, ſi quidem ſe ab omni ſiniſtra ſuſpicione eximium facere voluiſſet, ità in conſcribendis ſuis *Monitis* ſtylum & calamum moderari, ut quod ſapienter alicubi monet *Juſtus Lipſius*, non res ſolùm, ſed ipſe etiam ſcribendi modus ædificationi eſſet legenti. Cui conſilio, ſi *Autor Anonymus* obſecundâſſet, non ei opus fuiſſet reflexâ & operosè concinnatâ pro ſuis Monitis apologiâ, quæ tamen & ipſa propter hincinde ſeſe prodentem veternoſi, & calcaneo Virgineo inſidiantis Serpentis ſibilum novâ iterum Apologia indigeret.

Et vide ſis Lector Benevole, quid de ſincerè Catholico *Autoris Anonymi* erga Sacras Imagines, & nominatim erga Thaumaturgas Deiparæ Statuas, affectu ſentire poſſis, aut debeas; ſi attendas qualiter palàm, & quaſi palpabiliter, *Lauretanam, Monſerratanam, Oetinganam, Aſpricollenſem, Eremitanam in Helvetia, Czaſtochovienſem*, & his ſimiles Imagines per quendam Sarcaſmum in hoc ſuo XVII. *Monito* traduceat: *Nolite me* (verba ſunt ab ipſo fictæ Deiparæ) *exiſtimare fuſcam, aut nigram; aut quidquam momenti in colore ſitum eſſe*. Et iterum; *Ne arbitremini me aliam eſſe hic, aliam ibi, aliam in Monte Serrato, aliam in Monte Acuto: Eadem ſum ſemper*. Inquibus verbis ſiquidem latent aliqui contra ſincerum Deiparæ Cultum cuniculi, neceſſarium eſſe duxi paucis inſinuare; quo fundamento citra omnem in materia Religionis errorem, imò cum magno pietatis fructu, inter diverſas Deiparæ aut Sanctorum Statuas, & Imagines (de locis enim ſacris poſteà ſpecialiter acturus ſum) delectus inſtitui, & alia aliis, ex aliqua circumſtantia extrinſeca venerabilior, ac majori æſtimatione dignior, evadere poſſit. Ut autem complures ejuſmodi circumſtantias ſilentio prætercam, & à circumſtantia Cauſæ efficientis ordiar, quis

quis nisi à pietate, & ſincera religione valdè alienus, negabit Imagines *SS DEI Genitricis* à Divo Luca depictas, (quarum complures toto Orbe extare ſatis ſuperque conſtat ex diverſiſſimis Hiſtoriographis) eſſe ex hac circumſtantia Cauſæ efficientis aliis Imaginibus ejuſdem formæ, & figuræ ſimilem Artificem non nanciſcentibus, longè venerabiliores, & ad provocandam atque acuendam Fidelium devotionem accommodatiores? Augeſcit quippe ex communi hominum ſenſu Imaginum ſacrarum venerabilitas, & æſtimatio etiam penes meritum, ac Sanctitatem opificis; & ſicuti Imagines olim à magnis Principibus, putà *Marco Antonino* Philoſopho, *Alexandro* Severo, *Conſtantino* VIII. *Renato* Siciliæ Rege, & aliis ſimilibus privato ſtudio, & labore artificiosè depictæ, ex prudenti hominum judicio, merentur majus pretium phyſicum; ità à fortiori Imagines Cœleſtium Palatinorum (quales ſunt omnes Sancti cum Chriſto regnantes) juxta illud: *Jam non dicam vos Servos, ſed Amicos meos*, operâ & induſtriâ elaboratæ, merentur majus *pretium morale*; cujus primaria ſpecies eſt cultus, & veneratio. Et verò ſi adſcriptum huic aut illi ſyngraphæ alicujus Sancti Viri (putà *Dominici, Ignatii* aut *Xaverii*) nomen (quia ejus manu exaratum eſt) numeratur inter ſacras, & ſpeciali veneratione dignas ejuſdem exuvias, & magnis ſæpe ſæpiùs à DEO miraculis honeſtatur, quantò potiori jure idem ſentiendum erit de pictura, quæ eſt fœtus Ideæ mentalis hujus, & illius ſancti Artificis; èſtque longè moroſioris operæ, quàm ſit formatio paucorum characterum; nec potuit ſinè multa, & diuturna ejuſdem verſatione, & attrectatione perfici ac abſolvi? Ex quo clarè patet, aliud eſſe Imaginem aliquam, aut Statuam reddi æſtimabiliorem phyſicè propter artificii excellentiam, aut opificis in arte pingendi, vel ſculpendi peritiam, & dexteritatem (qualiter magno ſemper in pretio extiterunt, & etiamnum exiſtunt picturæ *Michaëlis Angeli, Bonaretæ, Raphaëlis Urbinatis, Corregii, Rubenii, Guidoreni*, & ſimilium in arte pingendi excellentium (idem eſto judicium de ſtatuis *Phidiæ, Praxitelis, & Polycleti*, quæ viſuntur *Romæ ad Capitolium*, & *in monte Quirinali*) aliud effici æſtimabiliorem moraliter, hoc eſt digniorem, & venerabiliorem propter opificis religionem, & Sanctitatem, cum relatione, & habitudine ad ſuum prototypon. Quæ æſtimabilitas eſt prorſus independens à majore vel minore artificio, ad hujus, vel illius artis regulas, comparato. Quin imò videmus ut plurimùm Imagines vetuſtas, obſoletas, carioſas, nec ab arte ullatenus commendatas, longè pluribus divinæ largitatis beneficiis cœlitus honeſtari: è contrario exquiſitâ arte confectas rariſſimè à prodigiis fieri famoſas; evidenti argumento, quòd ars & per artem collata concinnitas, quantùm attinet

Digitized by Google

ad religioſæ venerationis fundamentum, nullo apud DEUM loco habeantur. A fortiori autem inter Imagines penes Cauſam efficientem venerabiliores, & æſtimabiliores eminent eæ, quæ neque humano opificio, neque ex fortuito concurſu Cauſarum naturalium ſortuitò operantium, ſed vel operâ Angelorum, vel ſinè ullius creaturæ miniſterio, à DEO ipſo immediatè ſunt formatæ. Cujuſmodi inter Imagines *Chriſti* ſunt *Edeſſena*, ab eodem Chriſto ad *Abagarum Regem Edeſſæ* tranſmiſſa, & in linteo faciei ſuæ admoto, in hunc finem expreſſa, ac demum Genuam tranſportata. Itèm Imago, quam vulgò vocant *Veronicæ*, exhibens vultum Chriſti crucem ſuam bajulantis; ab eodem Chriſto in linteo, quod *Veronica Matrona* (aliàs dicta *Berenice*) extergendo ejuſdem vultui, ex teneræ compaſſionis affectu, obtulerat, mirabiliter efformatum. Imagines quoque *Syndonum Taurinenſis & Bizuntina*, cum nonnullis aliis, quarum paſſim meminerant diverſarum Hiſtoriarum Scriptores. Inter Imagines verò Deiparæ, non humano, ſed cœleſti opificio elaboratas, *Primo* loco eminet ea, quam *Heraclius* adversùs Choſroëm Perſarum Regem caſtra movens *Bizantio* adductam in exercitu ſuo eventu planè feliciſſimo circumtulit. *Deinde* Imago prodigioſa, quæ ad Sanctam *Gallam* de Cœlo tranſmiſſa eſt, & in templo *Sanctæ Mariæ in Porticu* uſque in hodiernum diem religiosè aſſervatur. *Tertiò* Imago *Tauromenitana*, de qua gloriatur *Theophanes Ceramæus Tauromenii in Sicilia Epiſcopus*, (*a*) eſtque tum aliorum cœleſtium beneficiorum, tum vel maximè imbrium, quando Cœlum factum eſt quasì æneum, fons uberrimus. *Quartò* Imago *Deiparæ Florentina*, quam à Pictore primùm inchoatam, & poſtmodùm cœleſti penicillo abſolutam univerſa *Hetruria* veneratur. Taceo alias his non abſimiles ſive Statuas, ſive Imagines de cœlo, ad acuendam Fidelium pietatem, admirando prodigio, ſuppeditatas, circa quas non eſt anxiè inquirendum, unde petita ſit ejuſmodi Imaginum, aut Statuarum materia; cùm facilè fuerit DEO (ſi per ſe ipſum eas producere voluit) materiam vel creare, vel aliundè adſciſcere. Angelis autem (ſi in ejuſmodi Imaginum effectionem incubuerunt) facile fuit è præjacente alicubi materia, quantum neceſſe erat, ad tale opificium, corrogare. Neque his obſtat, quod quandoque per accidens nonnullæ ſacrarum Imaginum ſolius naturæ, artem fortuitò æmulantis, machinatione efformatæ, vulgi errore, fuerint inter cœleſtis opificii effectus, annumeratæ; conſtat namque ex ſæpiſſimè inculcatis, & dictis, pauculas aliquas rudioris popelli, circa religioſum ſive *DEI*, ſive *Deiparæ* & *Sanctorum* Cultum anomalias, nec poſſe nec debere veræ, & ſinceræ pietati præ-

(a) *Homil.* 11. & 19.

Digitized by Google

præjudicare. Quin imò experientiâ conſtat ejuſmodi errores utpote ſæpeſæpiùs purè materiales, & indifferentes, nec ſubſtantiam Divini Cultûs attingentes, præbere occaſionem, ut Divina Bonitas pietatem Fidelium, ex talibus erroribus proficiſcentem, cœleſtibus etiam beneficiis, remuneretur. Cujus rei illuſtre Exemplum ſuppeditat *Alphonſus de Valle* Societatis JESU, referens, *Aruci* (locus eſt ad mare Auſtrale) montem eſſe ſcatentem ſmaragdis, topaziis, turcheſiis, amethyſtis, ſardiis, & aliis lapidibus pretioſis, mirâ colorum varietate, oculis intuentium jucundiſſimum ſpectaculum exhibentibus: in ejus verò concavo, non undecunque, ſed ex certo duntaxat puncto, efformari ſpeciem Beatiſſimæ Virginis Filiolum JESUM brachio continentis, tantâ colorum varietate renitentem, ut incolæ, ad miraculo factam apparitionem id referant, eſtò rerum naturalium peritiores re diligenter conſideratâ, & ad regulas Opticæ examinatâ, deprehenderint eſſe meram projectionem Opticam ex certo illo puncto (quo mutato illicò Imago videri deſinit) in oculos recurrentem, & ex fortuito lucis, & colorum lapidibus inexiſtentium concurſu & occurſu, citra artem humanam, aut ullam efficientiam phyſicam (niſi qualis in ſpectris, & phænomenis, intra nubes vel aërem apparentibus, intercedere conſuevit) provenientem; Deo nihilominus pietati Fidelium illuc religionis causâ convenientium, non uno miraculo ſuffragante, & palàm faciente, placere ſibi Cultum ſuæ Matris ex quacunque cauſa etiam erronea, dummodò non mala excitatum. Sicuti porrò juxta ſuperiùs dicta, poteſt propter Sanctitatem opificis, ſeu artificis, inter ſacras *Chriſti*, ac *Deiparæ*, & aliorum *Sanctorum* Imagines, & Statuas, una reddi præ altera venerabilior, & religioſo cultu dignior, ità idem de earundem vetuſtate, & antiquitate videtur eſſe ex ſententia multorum piorum juxta ac eruditorum Virorum aſſerendum. Non quia annoſitas, ſicuti vina defœcat, & pretioſiora facit, ità quoque in aliis rebus, earum pretium (multóque minùs moralem æſtimationem, & religioſam dignitatem) formaliter augeat, ſed quia eſt monimentum pietatis majorum, & Fidei olim vigentis in pio, religioſóque Cultu ſacrarum Imaginum; ſiquidem nemo prudens poſſit dubitare, Imagines adeò antiquas, ut ad ipſam *Chriſti*, & *Apoſtolorum* ætatem referantur, eſſe potentiſſimum Chriſtianæ religionis, contra quoſvis Iconoclaſtas argumentum.

Et ideò meritò præter cætera antiquæ pietatis monimenta maximi hodiéque fit Imago *Chriſti* ab ipſo *Apoſtolorum* Principe *Petro* data *Pudenti* Senatori Romano, quæ viſitur & colitur *Romæ* in Templo *Sanctæ Praxedis*, & Statua Cedrina Chriſti Crucifixi, à Nicodemo, uti ſuprà memoratum eſt, concinnata;

Digitized by Google

ta, quæ Lucæ in Hetruria uſque in præſens religioſiſſimè aſſervatur, & multæ aliæ ab antiquitate & vetuſtate apud Commentatores ſacrarum Imaginum vindices, variis locis deprædicatæ. Ex quo meritò arguas *Nicolaum de Lyra*, Virum alioqui à pietate, & doctrina multùm celebratum, quòd auſus ſit commentando in illud Sapientiæ 13. *Infelices ſunt, qui appellaverunt Deos ſimilitudinem animalium, aut lapidem opus manûs antiqua &c.* docere æſtimationem moralem ſacrarum Imaginum, ſumptam ab antiquitate, olere Ethniciſmum: eò quòd olim *idola*, quò erant vetuſtiora, eò habita fuerint venerabiliora; niſi intelligat, aliquas Imagines cultui Ethnicorum olim ancillatas, jam translatas, ut Sanctos referrent.

Ex dictis namque conſtat, poſſe citra ullam ſuperſtitionem, tribui aliquid vetuſtati ſacrarum Imaginum, ad quæ ſi citatus *Lyranus* advertiſſet, fuiſſet utique calamum ſuum moderaturus, & mentem ab ejuſmodi vetuſtate abhorrentem, in benigniorem partem inclinaturus. Præſertim quòd plerunq; Vetuſtiſſimæ illæ Statuæ, aut repertæ fuerint à Viris ſanctiſſimis inſtinctu divino uti *Cellenſis*; aut geſtatæ à Sanctis uti *Vetero-Boleslavienſis à S. Wenceslao* Bohemiæ Principe; aut cultæ longâ pietate, uti *Eremitana à S. Conrado* Epiſcopo, aut Populo ad publicam expoſitæ venerationem, & adorationem, nullomodo Latreuticam, ſed Duliæ, aut Hyperduliæ ſuo reſpectu ad prototypon ſervato, Maximè autem DEUS ipſe in ſuam, & Deiparæ gloriam, Sanctorúmque ſuorum honorem per patrationem evidentiſſimorum prodigiorum, jam plurium, jam pauciorum, jam majorum, jam minorum, jam continuorum quodammodò, jam interpolatorum, id efficit, ut Populus beneficia petiturus eò confluat, ubi exemplo aliorum videt, gratias faciliùs, citiùs, crebriùs, atque inſigniores impetrari, & penes hoc majus, & minus gratiarum etiam Cultus major & minor manifeſtatur. Cur autem apud unam Statuam majora crebrioráque fiant miracula à Bonitate Divina, tu quis es, qui Deum interroges, cur hoc faciat? cur infundat Fidem fortiorem precanti apud unam, quàm apud alteram Statuam, & hæc Fides operetur effectum? & hinc rudiores plures accipiunt gratias, quàm Scioli Anonymi; quia juxta illud: *Credite, & accipietis*, nihil impoſſibile credenti.

Sed ſatis jam dictum eſto pro delectu Sacrarum Imaginum, oportet nunc ut ad diſcretionem, & delectum Sacrorum locorum, ad quæ Mariani Clientes pietatem ſuam peregrinando, & ſupplicationes inſtituendo transferre conſveverunt, calamum quoque noſtrum contra indiſcreta *Autoris Anonymi Monita* transferamus.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO XXXIII.

Autor Anonymus arcet Fideles à Peregrinationibus ad loca à Thaumaturgis Deiparæ Imaginibus celebria.

ANimadvertendum *Trigeſimotertiò*, *Autorem Anonymum* quidquid olim in odium *Catholicorum* circa Cultum Deiparæ & Sanctorum per meras calumnias commenti ſunt Hæretici, id totum ferè Marianis Cultorib⁹ moderni tẽporis, impingere; & ſicut olim Hæretici deridebãt *Catholicorum*, procul à ſua patria ad templa Sacroſanctæ Virgini, aut aliis Sanctis ſpecialiter dicata, peregrinantium, vel ſtultitiam (ut ipſi vocabant) vel ſuperſtitionem; dicebántque in illos competere illud Chriſti: (*a*) *Si dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt; nolite exire. Ecce in penetralibus: nolite credere &c.* ità *Autorem Anonymum*, phraſibus haud multùm diſſimilibus, rudem ac ſimplicem popellum, ab ejuſmodi Peregrinationibus arcere, & prohibere. Ità enim per commentitiam ſuam Deiparam eoſdem alloquitur paulò antè impugnato Monito XVII. *Nè arbitremini me aliam eſſe hìc, aliam ibi, aliam in Monte Serrato, aliam in Monte Acuto: Eadem ſum ſemper. Nolite contendere pro hac, vel illa figura, pro hoc vel illo loco: Solus Deus novit cur in uno loco, ſigna plura fiant, quàm in alio. Quæ verò fiunt DEO potiùs, quàm mihi tribuenda; illi itaque gratia eſt habenda. non enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS. Ille glorificandus eſt, qui talem poteſtatem dedit hominibus*; hucuſque *Autor Anonymus*. Verùm quis eſt adeò hebes, ut denuò non advertat his, & ſimilibus verbis, non ſolùm veterum Hæreticorum, præcipuè verò *Lutheri, Calvini, Huſsii, Flacci, Illyrici*, & ipſorum ſequacium calumnias contra ſacras Catholicorum ad hæc, vel illa pia loca, Peregrinationes, & publicè inſtitui ſolitas ſupplicationes ſtabiliri, verùm etiam omnem circa loca ſacra, aut templa Deiparæ, vel Sanctis hincindè dicata, atque multis miraculis illuſtria, delectum, reprehendi, & improbari. Optaret ſcilicet *Autor Anonymus*, prout apparet ex ejus Apologia, propter præcavendos pauculos, qui ex occaſione ejuſmodi Peregrinationum, & delectuum, in rudem populum irrepere finguntur, errores, non ſolùm omnibus ad *Deiparam Lauretanam, Monte-Serratenſem, Oettinganam, Cellenſem, Aſpricollenſem*, & alia loca à religioſo *Deiparæ* Cultu, & prodigiis celebria, Peregrinationibus Fidelibus interdici, verùm etiam toto Orbe Chriſtiano famoſiſſimas, ac

(a) *Matth. 24.*

ac religioſiſſimas, *Jeroſolymam ad Sanctiſſimum Salvatoris noſtri ſepulchrum*; *Romam ad Limina Apoſtolorum*, & *Compoſtellam ad Divi Jacobi Hiſpaniarum Apoſtoli & Patroni* lipſana, & humani corporis exuvias profectiones ac itinera penitùs aboleri. In quo conatu è diametro opponitur non ſolùm ſenſui, & autoritati Conciliorum *Cabilonenſis ſub Carolo Magno*, & *Tridentini*:(a) in quibus Sanctitas, & Religio Peregrinationum ad ſacra loca approbatur, ac commendatur; verùm etiam exemplis Sanctiſſimorum Eccleſiæ Antiſtitum: *Gregorii Magni* ſummi Pontificis, *Eutychii* Patriarchæ Conſtantinopolitani, *Macarii Antiocheni*, *Heriberti* Archiepiſcopi Colonienſis, *Caroli Borromæi* Mediolanenſis, & aliorum, qui urgentibus præſertim publicis calamitatibus, ſolennes modò ad hæc, modò ad illa *Deiparæ*, aut Sanctis dicata Templa ſupplicationes, & Peregrinationes indixerunt, & eâ ratione Divinam Clementiam ſuis Eccleſiis, & Orbi Chriſtiano exorare ſtuduerunt. Et quis obſecrò eſt ille vel unicus, ex multis millibus, Peregrinorum Marianorum, qui ſibi perſuadeat, aliam eſſe Matrem DEI in Monte Serrato, aliam in Monte Acuto? aliam ſub hac forma vel figura, aliam ſub diverſa? aliam fuſcam aut nigram, aliam candidam vel rubicundam? Somnia ſcilicet ſunt hæc *Autoris Anonymi*, idcircò penitus deteſtanda, quòd Marianis Cultoribus conatur impingere turpiſſimum errorē gentiliū, qui (ùt Autor eſt *Tertullianus* (b) *Briſſonius*, (c) *Alexander Neapolitanus* (d) & alii) ſupremum fictitiorum Deorum Jovem, à ſe ipſo variè differentem; & alium Pluvium vel Nubicogum, alium Serenum, & Frugiferum, ſibi imaginabantur, illíque, ùt taliter ſibi diſſimili variis ſacrificiis, & ſupplicationibus, adulabantur. Quorum ſuperſtitio, ex falſa religione profecta, non debet propter aliquam cum vera Religione ſimilitudinem, Marianæ devotioni, aut ſanctiſſimis Eccleſiæ Catholicæ ritibus, ac cærimoniis officere; ſiquidem palàm notum perſpectúmque eſt, Diabolum ſemper extitiſſe ſacrorum rituum ſimium, & ſi ab omni eo, quod falſis Diis colendis à gentilibus olim adhibitum fuit, in colendo DEO Chriſtianis abſtinendum eſſet, ſequeretur (quod rectè obſervavit (e) *Divus Auguſtinus*) nulla ſacrificia eſſe vero DEO offerenda, neque toleranda religioſarum Virginum cœnobia. Sed illam tamen ſequelam, & plures tales fortè *Anonymus* non negaret, ſi auderet; auderet verò, ſi videret ſibi ſua Monita plausū obtinuiſſe, & nullam Cenſurā metueret. ubi verò hanc ſibi vidit imminere, atque in Hiſpania jam fulminatam, tum ſe ſe Apologiâ ſuâ iterum tegere magìs, quàm purgare conatus eſt; ſiquidem gentiles olim falſis Diis ſacrificabant, & Virginum Veſtalium clauſtra, inter falſæ ſuæ Religionis monumen-

(a) *Seſſ.* 25. (b) *l.* 3. *contra Marcionem* (c) *l.* 1. *form.* (d) *l.* 4. *Genial. c.* 17. (e) *l.* 20. *contra Fauſtum.*

menta numerabant. Miror autem vehementer, quomodò ex delectu ſacrorum locorum, in quibus hæc, aut illa Deiparæ Statua, vel Imago, ſpeciali religione colitur, potuerit *Autor Anonymus*, per ullam rationabilem conſequentiam venire in hanc opinionem, ut exiſtimaret Cultores Marianos credere, Deiparam eſſe, pro varietate locorum, aut Imaginum, à ſe ipſa diverſam, & aliam eſſe Matrem DEI, quæ colitur in *Monte Serrato*, aliam, quæ in *Agro Piceno*, aut *Monte Acuto*. Anne enim ex eo, quòd Fideles judicent efficaciores, & cæteris paribus DEO gratiores fore ſuas preces, ſi eas fundant potiùs in Templis, quàm ſi eas funderent in publicis foris, aut compitis, ſequitur ipſos fingere ſibi alium Deum præſidere, aut attendere rebus humanis in Templo, alium in foro, vel publicarum viarum angulo? An quia Sanctiſſimus Propheta Daniel (*a*) cùm eſſet captivus in Babylone, Deum deprecaturus faciem ſuam obvertebat ad eam cœli partem, quæ reſpondebat Templo *Jeroſolymitano*, exiſtimabat alium eſſe Deum, qui per immenſitatem, & gloriæ ſuæ majeſtatem, adimplebat Templum *Jeroſolymitanum*; alium qui per eandem immenſitatem ſibi præſens aderat, & cohabitabat in anguſto, & obſcuro carceris Babylonici ergaſtulo? An quia antiqvus Chriſtianorum uſus ferebat, orare ad Orientem (ſive ut obverterent faciem Chriſto Crucifixo, qui in cruce pependit, vultu obverſo ad Occidentem, prout cenſet Sanctus Damaſcenus; (*b*) ſive, ut ſignificarent, ſicut ab ea parte cœli lux corporea nobis advenit, ità ſe lucem ſpiritualem cœlitus expectare, prout docet (*c*) *Valafridus*) an inquam ex hoc ſitu Chriſtianorum *Orientem* potiùs, quàm *Occidentem* orando reſpicientium, licet inferre ipſos fuiſſe ità dementes, ut crederent alium Deum fixiſſe tabernaculum ſuum in Oriente, alium in Occidente? aut hunc eſſe illo imbecilliorem, vel acceſſu difficiliorem? Nunquid non hoc eſt dare Fidelibus occaſionem negligendi Templa, ſub prætextu non quærendi alium Deum in Templis, alium extra Templa? & ſuſcitare ex aliqua parte ab inferis peſſimam Sectam *Hæreticorum*, quæ non ità pridem irrepſit in Hollandiam, docentium omnia Templa eſſe occludenda, tanquam inutilia, neque orandum, niſì in privatis ædibus, & cubiculis, propter illud Chriſti: (*d*) *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & angulis platearum ſtantes orare. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuùm, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito.* Cui textui perperàm inhærentes Calviniſtæ, dum orant, os ſuum pileo occludunt, ut cenſeantur clauſo oſtio orare: non advertentes ſe hac ratione damnare Chriſtum inconſtantiæ, qui alibi conteſtatus eſt, ſuam Domum, ſive Eccleſias, eſſe Domum

Z ora-

(a) *Danielis 6.* (b) *l. 4. de Fide c. 13.* (c) *l. de reb. Eccl. c. 4.* (d) *Matth. c. 6.*

orationis; & quod idem Chriſtus dixit ad excludendam jactantiam, ineptiſſimè trahi ad excludendam orationem ab Eccleſia.

Cæterùm, ut ad hanc ipſam rem, de qua agimus, hoc eſt delectum Sacrorum locorum defendendum propiùs accedamus, & Cultores Marianos ejuſmodi delectum facientes ab omni injuria vindicemus; ſupponendum eſt, & cum omnibus rerum ſacrarum peritis firmiter tenendum, Deum in ſacris locis, arcano quodam conſilio, inæqualiter operari; eáſque operationes, non tam à nobis intelligi, quàm re ipsâ probari, & quotidianâ experientiâ admirabiliter deprehendi. Cujus rei argumento nobis jam olim fuerunt *Iſraëlitæ*, qui cùm apud *tabernaculum fœderis, & arcam Moyſis*, poſteàque in Templo *Jeroſolymitano* precarentur, Deum ſibi magìs propitium, votáque ſua efficaciora, intermixtis etiam nonnunquam cœleſtibus prodigiis, perſenſerunt. Regum itèm Sapientiſſimus *Salomon*, cùm peculiare Templũ Deo magnificis impenſis condidiſſet, miriſq; modis ornâſſet, Divinam promiſſionem nactus eſt, fore, ut qui ſuum Templum reverenter adirent, cultúmque Divinum illic peragerent, multa, & præclara beneficia ibidem conſequerentur. Quod etiam reipsâ poſtea eveniſſe, & permultos, non ſolùm ex Iſraëlitis, verùm etiam Ethnicis (præſertim cùm adorandi causâ quotannis Templum Jeroſolymitanum accederent) Dei virtutem expertos fuiſſe, multúmque fructum ex hoc ipſo Templo reportâſſe, colligere eſt, ex hiſtoria Evangelica Sancti *Joannis*, (*a*) & *Actis Apoſtolorum* (*b*) à Divo *Luca* conſcriptis. Quantò autem magìs juſtum, & æqvum eſt hoc ſentire, tum de viva, & animata *Arca Fœderis Maria*, non *à Moyſe*, ſed ipſo *Deo*, jam inde ab æterno mirabiliter ordinata, & poſtea in tempore fabricata; tum de Templis Chriſtianorum, quæ in immenſum veteri, & umbratico illi *Salomonis* Templo præſtant, poſtquam ſemel diſrupto, ac planè ſublato illius Templi velo, Evangelii lux nobis coruſcat, & Spiritus Sanctus, à Chriſto miſſus, atque in totum terrarum orbem effuſus domos Dei ſanctificat; & ſicut Novæ Legis Sacramentis peculiarem, & copioſiorem præ veteribus gratiam impertit, ſic etiam ſacris Chriſtianorum locis ac ritibus multò majora dona, quàm Templo illi Judaico, aut eorum cæremoniis communicare dignatur? Confirmat id ipſum pluribus aliis ex veteri Teſtamento deſumptis inſtantiis, & exemplis, inter Doctores Theologos haud parum celebratus *Gabriel.* (*c*) Ut, quòd Jacob locum Bethel, tituli & ſacrificii, ac voti nuncupatione honoraverit, advertens Deum eſſe in loco illo, id eſt, Deum ſibi locum illum in ſpeciale habitaculum futuris temporibus elegiſſe, in quo fundatũ vellet Templum, ac ve-

(*a*) *c.* 12. (*b*) *c.* 8. (*c*) *lect.* 49. *in Canon. littera X.*

veluti arcem religionis antiquæ, & ipſe in ejus vicinia, & quaſi colliminio opus noſtræ redemptionis expleturus. Itèm quòd DEUS Tabernaculum, ubi principaliter coleretur, primò quidem ad Silo, deindè verò Hieroſolymam reſtrinxerit. (*a*) Ex quibus rectè infertur, fore, ut, ſi ſacrorum locorum delectus à nobis non haberetur, Divinæ Bonitati certis in locis nobis benignam (liceat ſic loqui) audientiam, & ſua munera liberaliter offerenti, vel contradicere, vel ſaltèm ingrati eſſe videremur. Infert *ſecundo* fruſtrà à nobis præfigi legem DEO, quò minùs poſſit uno potiùs loco, quàm alio Matrem ſuam, vel Sanctos honorificare, præſtitis ad has potiùs, quàm ad alias eorum Imagines beneficiis, aut majoribus, aut frequentioribus; cùm totum hoc purè à diſpoſitionis illius beneplacito dependeat, alligando gratias jam Statuis, jam locis, jam utriſque ità, ut aliò tranſportatis Statuis ceſſàrint prodigia in loco *à quo*, & ſucceſſerint in locum *ad quem*, & ex adverſo. Nec refert, quòd fortaſſis ignoremus, qua de cauſa DEUS (qui tam in ſuis *Sanctis*, quàm in Templis eſt mirabilis) in uno loco ſe munificentiorem, atque clementiorem hominibus oſtendat, quàm in alio; ſufficit enim ſi cum *Auguſtino* (*b*) hujus arcani rationem ad ſummi DEI inſcrutabilem Sapientiam referamus, locique Sanctitatem, & operantem in illo virtutem, quamvìs differentem pro Chriſtiana prudentia ſuſpiciamus, & veneremur. Quanquam ſi hujus rei myſterium aliqualiter inveſtigare, & in Divina conſilia, citra temeritatem, ſcrutanda nos immittere velimus, non ad curioſitatem intellectûs, ſed motionem pii affectûs, occurrent fortaſſe aliquæ rationes non incongruæ, ob quas prudenter conjicere poſſimus, cur Deus intra ſacra loca alia præ aliis amplioribus beneficiorum prodigiis voluerit illuſtrare. Et ut nonnullas harum rationum, quas in præſenti materia affert, & expendit *Petrus Caniſius* (*c*) ſilentio prætercam, conducit hæc locorum ab ipſo DEO facta diſcretio plurimùm ad conciliandam *DEIparæ*, & *Sanctis* apud *Fideles* ſimul & Infideles æſtimationem, ac venerationem; utpote ad quorum Cultum DEUS æquè, ac olim ad ſuum (prout patet ex locis Sacræ Scripturæ (*d*) paulò antè adductis) quædam loca ſpecialiter deputaverit, & eadem multis ſignis, ac prodigiis amplificare, & confirmare decreverit. Quod Divinæ erga ſuam Genitricem & Electos beneficentiæ argumentum, in iis potiſſimùm locis elucet, in quibus præclarum aliquod rerum ab ipſis geſtarum, aut toleratarum monimentum extat, vel eorundem lipſana religiosè aſſervantur. Sic namque innumeris miraculis à *DEO* illuſtratam fuiſſe, & etiamnum illuſtrari ſcimus Sacram *Domum Lauretanam*, tanquam *Verbi Incarnati*, & *Deiparæ* habi-

(a) *Geneſ.* 33. 1. *Reg. c.* 10. (b) *epiſt. ad Cler. & pop. Hypponenſ.* (c) *l.* 5. *de Deip. c.* 24. (d) *Geneſ.* 33. & 1. *Reg. c.* 10.

Digitized by Google

bitaculum, itèm ſepulchrum *S. Jacobi*, cujus corpus Anno Domini 816. ſub Leone III. Pontifice, in Hiſpania repertum, Compoſtellæ requieſcit. Cui adde ſepulchra, ſeu tumulos variorum aliorum Sanctorum, & Sanctarum frequentibus cœleſtium beneficiorum prodigiis decoratos, inter quos rectè numeraveris ſepulchrum ſancti *Sergii Martyris*, cujus mentio fit in ſecunda Synodo Nicæna, & fuit olim à Choſroë Perſarum Rege, quamvis infideli, pretioſiſſimis muneribus exornatum. Sepulchra itèm Sancti *Felicis* Presbyteri, & Martyris, nec non Sanctorum *Gervaſii, & Protaſii*, de quibus multa magnificè ſcripſit *Divus Auguſtinus*. (a) Sancti item *Martini* apud *Turonos* cujus miracula quatuor libris complexus fuit *Gregorius Turonenſis*. Sancti *Ægidii* in provincia Narbonenſi: Sanctorum *Dominici, Antonii Paduani, Franciſci Xaverii*, & aliorum quorum plenæ ſunt hiſtoriæ. Eſtque hæc DEI, Sanctos ſuos apud eorum ſepulchra mirabiliter glorificantis, providentia adeò profuſa & liberalis, ut Sanctus *Petrus Damiani*, ſepulchra Sanctorum Martyrum appellaverit: *Divina æraria, unde Fidelibus cœleſtium beneficiorum & donorum ſtipendia depromuntur.* Adeò verum eſt illud: *Nimis honorati ſunt Amici tui Deus* (quidni Mater longè ſuprà?) *nimis confortatus eſt Principatus eorum.* Adde quòd nonnullis in locis (uti præclarè obſervavit (b) *D. Auguſtinus*) pietatem Fidelium vehementer accendat recordatio eorum, quæ ibidem *à Deipara*, vel *Sanctis* præclarè, & ſanctè geſta ſunt. *Movemur enim* (ut utar verbis Attici apud Tullium) *neſcio quomodò locis ipſis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia. Me quidem* (ità à ſe ipſo argumentatur idem Atticus) *iſta ipſa noſtra Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum Virorum, ubi quis habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus.* Quod proculdubio reſpectu Fidelium à potiori locum habet in ſacerrima, & toto Orbe celeberrima *Æde Lauretana*, ubi *Verbum Carnem factum, & DEI Filium* hominibus ſubditum, diu vixiſſe, familiámque tantâ Sanctitate, quantâ nullam unquam ſimilem Sol conſpexit, collucentem, domicilium ſuum habuiſſe, dulciſſimâ ſimul ac piiſſimâ recordatione meminimus, ac veneramur.

Sed attende, & expende priuſquàm Animadverſioni huic finem imponamus, Lector Benevole, paulò accuratiùs verba, quibus hoc ſuum Monitum 17. claudit *Autor Anonymus*. Poſtquam enim dixiſſet, per perſonatam, ſeu Comicam ſuam Deiparam: *Ne arbitremini me aliam eſſe hìc, aliam ibi; aliam in Monte Serrato, aliam in Monte Acuto &c. Et nolite contendere pro hac vel illa figu-*

(a) *Epiſt. ad cler. & pop. Hypponen.* (b) *l. 2. cont. Fauſt. c. 21.*

Digitized by Google

gura, pro hoc vel illo loco. ſubdit: *Solus DEUS novit, cur in uno loco ſigna plura fiant, quàm in alio. Quæ verò fiunt, DEO potiùs, quàm mihi tribuenda; ille enim eſt, qui facit mirabilia magna ſolus. Illi itaque gratia eſt habenda; non enim qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat DEUS. Ille glorificandus eſt, qui talem poteſtatem dedit hominibus.* Quibus verbis neſcio, an aliquid potuerit ad minuendam Deiparæ gloriam, & Fidelium, circa ejus Cultum, præcipuè verò Peregrinationes, ab iiſdem ſuſcipi ſolitas, pietatem, dici efficacius & peſtilentius. Docet enim his verbis, tum tacitè, tùm expreſſè. *Primò*: miracula, quæ apud Thaumaturgas *Deiparæ* Imagines, aut Statuas hincinde patrata, aut patrari legimus, non eſſe ejus meritis, & precibus adſcribenda, ſed ſoli DEO, ob cauſas, & rationes ipſi ſoli notas, attribuenda. *Secundo*: non videri operæ pretiū Deiparæ opē in uno loco præ alio ſpeciali Cultu implorare, ſed expedire, ut ad ſolum DEUM ferventi prece recurratur, & Cultus, qui Deiparæ exhibetur, ad ipſum ſolum transferatur. *Tertiò*: nullam aut exiguam deberi Sanctiſſimæ DEI Genitrici gratiarum actionem ob accepta apud Thaumaturgas ejuſdem Statuas, aut in locis ipſius Cultui ſpecialiter dicatis, dona & beneficia: ſed ſoli DEO totum hoc privativè ad Deiparam deferendum; utpote, quæ parum aut nihil, ad talia beneficia conſequenda, contulerit. *Quartò*: nihil gloriæ debere ex hujuſcemodi beneficiis in Deiparam derivari, neque idcircò ipſam eſſe quoquo modo glorificandam, & prædicandam. Quæ doctrinæ ſi ſubſiſtant, perperàm, & imprudenter Deipara in Thaumaturgis ſuis Imaginibus, tot anathematis ad aras ipſius appenſis, tanquam beneficiorum per ipſam cœlitùs acceptorum Imperatrix, atque Largitrix à Fidelibus agnoſcitur, & tanto ſtudio ad eam colendam, & ſolicitis precibus conciliandam, per longiſſima terrarum, & maris ſpatia, peregrinando excurritur. Dicere enim (quod fortaſſe dicere poſſet aliquis *Autoris Anonymi* patronus) ejuſmodi loca, aut Imagines habere ſe præcisè per modum conditionis, cui Deus ex mero voluntatis ſuæ beneplacito, hæc, aut illa beneficia hominibus in gratiam ſuæ Matris conferenda alligaverit (ad eum modum, quo ad conciliandam Divo *Petro* novum *Chriſti* Evangelium prædicanti autoritatem, umbræ illius alligata erat (a) *gratia ſanitatum*) hoc inquam dicere abhorret, velut à ſenſu omnium Catholicorum, & mente Sacri Concilii Tridentini alienum, qui in patrocinio, & interceſſionibus Deiparæ, ac Sanctorum, non puram conditionem, ſed meritum congruum, adeóque moralem quandam efficientiam agnoſcunt. Et qui eis in hoc puncto contradiceret, inter Hæreticos citra omnem controverſiam adnumerari deberet.

(a) *Actor.* 5.

Digitized by Google

Fateor equidem Deiparam, & Sanctos, apud quorum Statuas, Imagines, aut reliquias DEUS mirabilia operatur, non eſſe beneficiorum, quæ illic prodigioſè obtinentur *Cauſas Principales*, ſed tãtùm *inſtrumentales*; at nunquid ideò Fidelibus interdicenda eſt omnis omnino iiſdem exhibenda gratiarum actio, aut glorificatio, quam, cum ipſis ipſemet etiã DEUS libenter cõmunicat; juxta illam Eccleſiæ de Sanctis *Ignatio & Xaverio* Collectam: *DEUS qui glorificantes Te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris.* Haberet profectò hic locum diſcurſus *Divi Ambroſii* (a) contra Arianos, inficiantes miracula, quæ apud lipſana Sanctorum Martyrum *Gervaſii & Protaſii* recèns inventa patrabantur, ipſorum meritis eſſe tribuenda, ſed aliis cauſis adſcribenda: *In tantum*, inquit, *amentiæ prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam Dæmones confitentur. Dicunt: Non ſunt iſti Martyres, nec torquere diabolum poſſunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta Dæmonum ipſorummet voce probentur, & beneficia Martyrum, remediis cæcorum, & abſolutorum indiciis, declarentur.* Cui ratiocinationi ne poſſent Arriani obiicere, quod Marianis Cultoribus obiicit *Autor Anonymus*, hâc ratione derogari aliquid honori, & gloriæ DEI, qui facit *mirabilia magna ſolus*, ſubdit citatus *Ambroſius*: *Unius in his potentiam laudamus Autoris, nempe DEI, nec intereſt, utrùm opus ſit, an munus; cùm & muneretur in opere & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donaverit, hoc in aliorum opere nomen ejus operatur*, quaſi verò ſummo Pontifici, Cæſari, Regi, ac Principi quicquam deroget, delegata ſuis adminiſtris fidelibus autoritas, & ab Auguſto communicata Auguſtæ Majeſtas. Sed fruſtraneum eſt, iſta pluribus proſequi; parum enim his, & ſimilibus inconvenientiis movebitur *Autor Anonymus*, cujus ſtudium eò præcipuè videtur ſpectare, ut Cultum *Deiparæ* ſub ſpecioſo prætextu Divini honoris magìs, ac magìs promovendi, quoad fieri poteſt, imminuat; patrocinantibus præſertim illi ſuis Cenſoribus, quorum unus non dubitavit Monitis ejuſdem (prô pudor!) ſubſcribere: *Utinam ſic in feſtis B. V. Mariæ fierent exhortationes, ac populi inſtructiones! promoveretur Charitas ad DEUM, & ad homines pietas, & ad Dominam ſincera Devotio.* Cui Cenſuræ contrarium prorſus ſubſtituunt omnes ſinceri Deiparæ Cultores, dicúntque: *Abſit ut ſic* (quemadmodum monet Autor Anonymus) *fiant in Feſtis B. Virginis Mariæ exhortationes ac populi inſtructiones. Extingueretur enim, & penitus everteretur hac ratione Charitas ad DEUM, & ad homines pietas, & ad Deiparam ac Sanctos* (quod unicè optant omnes Hæretici) *ſincera devotio.* Et quam multiplicatis Interceſſoribus deprecamur noſtris culpis pœnam, imminutis hiſce noſtris

(a) *Homil* 91.

Digitized by Google

ſtris Patronis. & Patronâ Patronorum noſtrorum contemptâ, plueret ſuper nos ignis DEI furentis,& Juſtitiæ ſuæ rigorem per Matrem Miſericordiæ nonuttemperaturi.

ANIMADVERSIONUM CONCLUSIO.

EXhibui tibi hactenus, Lector Benevole, in pauculis *Animadverſionibus*,ſenſum meum circa Monita *Autoris Anonymi*, oſtendíq; ea eſſe Cultui Deiparæ valdè præjudicioſa, & non ſolùm Cultoribus Marianis, verùm etiam toti Eccleſiæ pernicioſa. Et quanquam ea memoratus Autor, editâ pro ſe Apologiâ, in benigniorem partem interpretari, & ab omni juſta cenſura purgare adniſus fuerit; nunquam tamen apud prudentem, & oculatum Lectorem efficiet, (prout hactenùs ſatis ſupérque oſtenſum eſt) ut non judicet, in iis poni omnibus Chriſti Fidelibus, tam Orthodoxis, quàm Heterodoxis, lapidem offenſionis, & petram ſcandali, in quæ incauti impingant, & à rectæ ac ſinceræ erga Deiparam, & Sanctos religionis ſemita avertantur.

Quod nè pluribus cum tædio Lectoris proſequar, hic calamum ſiſto, & iiſdem propè verbis, quibus olim ſuas, pro eadem Deipara contra novos & veteres Sectariorum errores, Vindicias Libris quinq; comprehenſas, concluſit *Petrus Caniſius* Societatis JESU Theologus, præſentes haſce Animadverſiones concludo & abſolvo. *Hæc habui quæ pro meo tenui modulo, pro defendendo*, contra Autorem Anonymum, *Sanctiſſimæ, neque unquam ſatìs vel laudatæ, vel honoratæ DEI Genitricis Mariæ Cultu diſſererem. Non interim me fugit, permulta in hoc argumento à me vel prætermiſſa, vel non ſatìs diligenter fortaſsis excuſsa, aut rectè quidem huic naſuto ſæculo non uſquequaque placitura eſſe.* Sed nihil moror heteroclita paucorum hominum non ſemper ad ſobrietatem ſapientium judicia; *ſi enim omnibus hominibus promiſcuè placerem,* Mariæ (quod de *Chriſto* ejus Filio dixit Apoſtolus) ſervus non eſſem. A Te verò Auguſtiſſima Cœlorum Regina, eadémque benigniſſima Mater, cujus honorem non ſinè fructu (uti non ſinè ingenti prodigio expertus fuit

it tuarum Imaginum vindex, & aſſertor *Damaſcenus*) propugnavi, *& cui mortales omnes memoriâ beneficiorum ſempiternâ devincti ſunt, etiam atque etiam reverenter oro, & obſecro, ut hoc qualecunquē obſervantiæ meæ erga Te teſtimonium ratum gratúmque habere velis, útque oblati muneris exiguitatem ſtudioſâ offerentis voluntate metiri, ac tuo præpotenti Filio comprobare digneris. Hominum judicia* (uti paulò antè proteſtatus ſum) *velut fragiles aranearum telas nihil morabor, ſi tuo ſuffragio meus hic labor, nōn dicam commendetur, ſed ſaltèm excuſetur; ſique tuo patrocinio adverſus æmulos defendatur, ac fulciatur. Satis etiam præmii loco retuliſſe videbor, ſi me Albo, non jam tuorum amicorum, aut filiorum, ſed Clientulorum ſaltèm adſcribi patiaris.*

Quòd ſi quædam in hoc opuſculo vel reprehendenda vel corrigenda prudentibus, & ſinceris Deiparæ Cultoribus videbuntur, haud ſanè impedio, quò minùs illi ſuo, & Charitatis Jure, ea reprehendant, & corrigant, ſimúlque aliquid imbecillitati meæ condonent. Quidquid verò à me rectè, & præſenti inſtituto conſentaneè ſcriptum eſt, horum nihil mihi tribui, aut adſcribi poſtulo; ſed hoc unum, ut antea ſæpe, ità nunc etiam ex animo dictum, ac repetitum volo. Sit JESV Chriſto Opt: Max: Redemptori, & MARIÆ incomparabili Virgini Matri in Cœlo terrâq; tum gratia, tum gloria ſempiterna.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Digitized by Google

INDEX PRIMUS ANIMADVERSIONUM.

Scopus Autoris & occaſio ſcribendi. pag. 1.

ANIMADVERSIO 1.

In colenda Deipara ſervandum eſt medium, tam rationis quàm rei. pag. 4.

ANIMADVERSIO 2.

Gloria & honor Deiparæ nihil præjudicat gloriæ & honori DEI aut Chriſti. pag. 6.

ANIMADVERSIO 3.

In malignam Autoris Anonymi Objectionem & Monitorum ſuorum Defenſionem. pag. 9.

ANIMADVERSIO 4.

In Figmenta & Calumnias Autoris Anonymi, contra Orthodoxos Deiparæ Cultores. pap. 17.

ANIMADVERSIO 5.

Autor Anonymus eſt S. Eccleſiæ Catholicæ ſuis Monitis injurioſus & pernicioſus. pag. 23.

ANIMADVERSIO 6.

Exigua Autoris Anonymi erga SS. Patres Obſervantia & Reverentia. pag. 25.

ANIMADVERSIO 7.

Autor Anonymus malè carpit Studium Catholicorum Doctorum in inveſtigandis & illuſtrandis ſpecialibus Deiparæ prærogativis. pag. 29.

ANIMADVERSIO 8.

Cultui Deiparæ in Eccleſia Catholica recepto, nihil præjudicant nonnullorum de vulgo errores. pap. 35.

ANIMADVERSIO 9.

Autor Anonymus eſt Veterum Hæreticorum in perſequendo Deiparæ Cultu æmulus & Sectarius. pag. 40.

Index Primus.

Animadversio 10.

Impugnatores Cultûs Deiparæ, poſſunt eſſe, & ſemper fuerunt in Eccleſia Catholica meritò de Hæreſi ſuſpecti. pag. 45.

Animadversio 11.

Autor Anonymus malignè conatur reddere ſuſpectas Revelationes, & Hiſtorias moderno Cultui Deiparæ ſuffragantes. pag. 50.

Animadversio 12.

Præcipuum argumentum, quo olim Hæreſiarchæ, & nunc Autor Anonymus nonnullos Deiparæ titulus impugnat. pag. 54.

Animadversio 13.

Tituli, quos Eccleſia tribuit Deiparæ, non ſunt ità Deo proprii, ut non fuerint à Scriptura, & SS. Patribus etiam variis Hominibus attributi. pag. 58.

Animadversio 14.

Autor Anonymus per ſua Monita ſuſcitat Veterum Hæreſiarcharum rixas, & calumnias contra pridem uſitatum & in Eccleſia Catholica receptum Canticum, Salve Regina. pag. 64.

Animadversio 15.

Poteſt citra omnem errorem in Fide Deipara dici: Refugium Peccatorum, quamvis hic & nunc ſive de præſenti impœnitentium. pag. 67.

Animadversio 16.

Quo Senſu poſſit Deipara ſuos Cultores ex Inferno eripere, & ad pœnitentiam revocare. pag. 74.

Animadversio 17.

Quo Senſu dixerint nonnulli SS. PP. Deiparam ſuos Clientes in ſupremo Judicio defendere, & ab æterna Damnationis Sententia liberare. pag. 78.

Animadversio 18.

An ſicuti Sanctiſſimum Nomen JESU, ità etiam MARIÆ, habeat virtutem agendi ex opere operato. pag. 83.

Ani-

ANIMADVERSIO 19.

Nihil Divinæ Simplicitati, aut Perfectionibus Chriſti præjudicant hæ propoſitiones : Chriſtus eſt Judex Severus : Maria Mater Miſericordiæ. Chriſtus ſibi reſervavit Juſtitiam : Matri commiſit Miſericordiam. Si ſano & ab Orthodoxa Eccleſia ſemper obſervato ſenſu, utì iſta, ità & antecedentia intelligantur. pag. 88.

ANIMADVERSIO 20.

Autor Anonymus fruſtrà damnat hanc propoſitionem : Non datur aditus ad Dèum per Chriſtum ſinè Deipara. pag. 92.

ANIMADVERSIO 21.

Deiparæ debetur Cultus Hyperduliæ à Cultu Duliæ, qui aliis Sanctis exhibetur, ſpecie eſſentiali diſtinctus. pag. 96.

ANIMADVERSIO 22.

Maligna Autoris Anonymi in interpretando titulo, Mediatricis & Advocatæ, qui Deiparæ ab Eccleſia tribuitur, induſtria. pag. 102.

ANIMADVERSIO 23.

Non ſolùm DEUS, & Chriſtus, verùm etiam Deipara, poteſt appellari Spes noſtra. pag. 107.

ANIMADVERSIO 24.

Non eſt rationabili ſcandalo obnoxium, ſano ſenſu appellare Deiparam : Salvatricem & Cooperatricem humanæ ſalutis. pag. 114.

ANIMADVERSIO 25.

Non eſt Error, aut Blaſphemia Deiparam in ſuo ſenſu vocare Omnipotentem. pag. 122.

ANIMADVERSIO 26.

Quo ſenſu Deipara à Doctore Angelico, & nonnullis SS. Patribus dicta fuerit Creatura, quâ Deus meliorem facere non poſſit. pag. 126.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO 27.

Autor Anonymus fruſtrà nititur Deiparæ abrogare titulum, poſt Deum & Chriſtum Cœli terraq; Imperatricis, Reginæ, & Dominæ. pag. 134.

ANIMADVERSIO 28.

Poteſt Deus magìs amari, quàm Deipara, etiamſi hæc ametur teneriùs & ſenſibiliùs. pag. 140.

ANIMADVERSIO 29.

Autor Anonymus perperàm offenditur luminibus ante aras & Imagines Deiparæ ac Sanctorum copiosè collucentibus. pag. 145.

ANIMADVERSIO 30.

Autor Anonymus non ſatìs Catholicè improbat ſumptus, qui à Fidelibus impenduntur in ornandas Deiparæ, & Sanctorum Statuas. pag. 148.

ANIMADVERSIO 31.

Autor Anonymus contra ſenſum totius Orbis Chriſtiani conatur malignè Beatiſſimæ Virgini abrogare titulum: Dominæ, & prohibere Fideles, nè ſe profiteantur Servos illius. pag. 159.

ANIMADVERSIO 32.

Autor Anonymus videtur eſſe Neo-vetus ſacrarum Imaginum perſecutor. pag. 165.

ANIMADVERSIO 33.

Autor Anonymus arcet Fideles à Peregrinationibus ad loca à Thaumaturgis Deiparæ Imaginibus celebria. pag. 175.

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS
MATERIARUM.

Quæ opportuno Marianarum Feſtivitatum tempore pro Concione ad Populum ex hoc Opuſculo afferri queunt.

NOTANDUM IN GENERE.

Pro Exordiis, & Concluſionibus aptas aliquas Patrum Sententias, ſive ad affectum tuum laudandi Virginem proponendum, ſive ad concitandum in aliis, deſumes potiſſimùm ex Præfatione ſeu Scopo Autoris, Animadverſionibus. 2.12.15.16.22. 28.

IN FESTO S. MARIÆ PURIFICANTIS.

THEMA I.

Accepit eum in Ulnas ſuas, & benedixit DEUM. *Luca 2. v. 28.*

Dici poterit: quomodò ſinè B. Virgine non ſit valdè expeditus ad Deum obtinendum aditus. ex Animadverſione 20.

THEMA II.

Poſtquam impleti ſunt dies purificationis ejus. *Luc. 2. v. 22.*

Dici poterit: B. Virgini poſt DEUM puriſſimæ, Sanctiſſimæq; deberi Cultum præ reliquis Sanctis, eúmq; Hyperduliæ. ex Animad. 21.

THEMA III.

Lumen ad Revelationem gentium. *Luc. 2. v. 23.*

Dici poterit: de pio luminarium uſu ad Icones D. Virgini adhiberi ſolitorum. ex Animad. 29.

THEMA IV.

Ut ſiſterent eum Domino. *Luc. 2. v. 22.*

Dici poterit B. Virginem ità ſuſtinuiſſe Matrem DEI, ut ſemper ſe geſſerit ancillam Domini. ex Animad. 31.

IN FESTO S. MARIÆ AB ANGELO SALUTATÆ.

THEMA I.

Benedicta Tu in mulieribus. *Luc. 1. v. 28.*

Dici poterit: Quomodò Viri Docti Angelum imitentur, novis encomiis Virgineos honores exaugendo, ſublimibúsq; dictis condecorando. ex Animad. 7.

Digitized by Google

THEMA II.

Benedicta tu &c. *ut ſuprà.*

Dici poterit: quomodò ſalvo eo, quòd DEUS Benedictus aut Beatus dicitur, B. Mater Benedicta aut Beata dici poſſit. ex Animadv. 13.

THEMA III.

Ave gratiâ plena. *Luc. 1. v. 28.*

Dici poterit: de pio more ſalutandi Virginem maximè per Hymnum Salve Regina. ex Animadv. 14.

THEMA IV.

Miſſus eſt Angelus ad Virginem. *Luc. 1. v. 26.*

Dici poterit: ſi Angelum non decuit peregrinari ad Virginem è Cœlo aliena ſalutis causâ; neq; fore indecens, nos inſtituere Peregrinationes ad loca Virgineis miraculis celebria, propria causâ ſalutis. ex Animadv. 33.

IN FESTO S. MARIÆ VISITANTIS.

THEMA I.

Exultavit in gaudio Infans in utero meo. *Luc. 1. v. 44.*

Dici poterit: quo pacto Patres in Eccleſiæ utero, veluti infantes in laudanda Virgine ſeſe fateantur, nihilominus alacriter in Ejus laudandæ conatu progrediantur? ex Animadv. 6.

THEMA II.

Benedicta Tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc. 1. v. 42.*

Dici poterit: de revelationibus, quas piæ mulieres de Chriſto, vel B. ejus Matre, habuerunt. ex Animadv. 11.

THEMA III.

Fecit mihi magna qui potens eſt. *Luc. 1. v. 49.*

Dici poterit: quo ſenſu Omnipotens poſſit dici B. Virginem feciſſe omnipotentem. ex Animadv. 25.

THEMA IV.

Magnificat Anima mea Dominum. *Luc. 1. v. 46.*

Dici poterit: quomodò ex Deipara honoretur DEUS. ex Animadv. 2.

IN FESTO DEDICATIONIS S. MARIÆ AD NIVES.

THEMA I.

Beatus Venter, qui te portavit. *Luc. 11. v. 27.*

Dici poterit: quomodò poſſint quidam tituli dari B. Virgini, qui aliàs DEO & Chriſto tribuuntur. v. g. Beatus, Benedictus &c. ex Animadv. 13.

THEMA II.

Beati qui audiunt verbum DEI. *Luc. 11. v. 28.*

Dici poterit: quomodò ſimus Filii Mariæ eo ipſo, quòd fratres Chriſti. ex Anim. 4.

THE-

Digitized by Google

THEMA III.

Beati, qui audiunt verbum DEI. *Luc.* 11. *v.* 28.

Dici poterit: ſuſpectos eſſe de hæreſi, qui Mariæ Cultoribus adverſantur. ex Animadv. 10.

THEMA IV.

Et ubera quæ ſuxiſti. *Luc.* 11. *v.* 28.

Dici poterit: propter Chriſtum, qui de Virgine ſuxit, eam eſſe colendam, abſque Cultûs iſtius intermiſſione. ex Animadv. 1. & 2.

IN FESTO S. MARIÆ IN COELOS ASSUMPTÆ.

THEMA I.

Intravit JESVS in quoddam Caſtellum. *Luc.* 10. *v.* 38.

Dici poterit: quomodò B. Virgo ſit Civitas refugii, ſeu refugium peccatorum. ex Animadv. 15.

THEMA II.

Maria Optimam partem elegit. *Luc.* 10. *v.* 42.

Dici poterit: quomodò B. Virgo etiam ex Inferno ſeligat in Cælum tranſmittendos. ex Animadv. 16.

THEMA III.

Maria Optimam partem elegit. *Luc.* 10. *v.* 42.

Dici poterit: quomodo B. Virgo attemperet Juſtitiam Judicis, commiſsâ ſibi Miſericordiâ. ex Animadv. 19.

THEMA IV.

Idem thema.

Dici poterit: quomodò B. Virgo regnum Cælorum elegerit, ſeu ſit Regina Cæli. ex Animadv. 27.

IN FESTO S. MARIÆ NASCENTIS.

THEMA I.

De qua natus eſt JESVS. *Matth.* 1. *v.* 16.

Dici poterit: de virtute SS. Nominum, JESUS & MARIA. ex Animadv. 18.

THEMA II.

Thema idem.

Dici poterit: reſponſum ad interrogationem, qua putas puella iſta erit? oſtendendo, fore, aut eſſe Spem noſtram. ex Animadv. 23.

THEMA III.

Liber generationis JESV. *Matth.* 1. *v.* 1.

Dici poterit: quomodò B. Virgo poſſit dici, quaſi JESUA ſeu Salvatrix. ex Animadv. 24.

THEMA IV.

De qua natus eſt JESVS. *Matth.* 1. *v.* 16.

Dici poterit: contra eos, qui Mariam eſſe DEI Matrem negant. ex Animadv. 3.

Digitized by Google

INDEX SECUNDUS.

IN FESTO S. MARIÆ SINE MACULA CONCEPTÆ.

THEMA I.

Liber Generationis. *Matth.1.v.1.*

Dici poterit; de Immaculata Conceptione B.Virginis. ex Animad.7.

THEMA II.

Ex ea, quæ fuit Uriæ. *Matth.1.v.6.*

Dici poterit: quomodò peccata majorum, ſeu progenitorum Chriſti hujus puritati non obſuerint, atq; adeò nec B.Virgini. ex Animadv.8.

THEMA III.

De qua natus eſt JESVS. *Matth.1.v.16.*

Dici poterit: quomodò Mater DEI Creaturarum optima ſit habenda ? ex Animadv.26.

THEMA IV.

Thema ibidem.

Dici poterit: de tenero erga B.Matrem amore. ex Animadv. 28.

IN FESTO S. MARIÆ IN TEMPLO PRÆSENTATÆ.

THEMA I.

Extollens vocem quædam Mulier. *Luc.11.v.27.*

Dici poterit; quomodò ſe B.Virgo præſentet pro reis in judicio liberandis. ex Animadv. 17.

THEMA II.

Idem thema.

Dici poterit: quomodò B. Virgo Advocata noſtra extollat Vocem, ex Animad. 22.

THEMA III.

Beatus Venter &c. *Luc. 11.v.27.*

Poteſt dici: de Ornatu Statuarum B.Virginis, quæ ventre ſuo circumdedit & ornavit Chriſtum. ex Animad.30.

THEMA IV.

Idem thema.

Dici poterit: quemadmodum ſummi tituli B. Virginis aliquam cum Deo laudis ſimilitudinem continentes ipſi competant. ex Animadv.9.

IN FESTO S. MARIÆ MATRIS DOLOROSÆ POST PASCHA celebrari ſolito in Regno Boëmiæ.

THEMA I.

Dici poterit de doloribus Virgineis, ex Animadv. 24.

THEMA II.

Dici poterit: quomodò Oſores Mariani Cultûs, quantùm in ipſis, B. Virginem gladio confodiant, ex Animad.32.

O. A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5 3 - 3

Digitized by Google